



# SARUM CUSTOMARY ONLINE

## 6: THE NEW CUSTOMARY FROM FRERE'S USE OF SARUM I [NCF]

LATIN TEXT ONLY

INTERIM EDITION MAY 2013

PROJECT DIRECTOR & GENERAL EDITOR  
SOURCE TRANSCRIPTION & EDITING

TRANSLATION & REVIEW OF LATIN TEXTS

JOHN HARPER  
CHRISTOPHER HODKINSON &  
MATTHEW CHEUNG SALISBURY  
HENRY HOWARD

SARUM CUSTOMARY ONLINE  
is an element of a larger research project,  
*The Experience of Worship in late Medieval Cathedral & Parish Church*,  
based at Bangor University  
within the research programme, *Religion and Society*,  
funded jointly by the Arts & Humanities Research Council and  
the Economic & Social Research Council.



THE  
EXPERIENCE  
OF WORSHIP  
IN LATE MEDIEVAL  
CATHEDRAL AND  
PARISH CHURCH



Arts & Humanities  
Research Council





# The New Customary of Salisbury Cathedral

[NCF]

from W. H. Frere, ed., *The Use of Sarum*, I (Cambridge, 1898)

Latin text only

---

W.H. Frere published an edition of the Sarum customary which presented two texts of the Consuetudinary (here, the Old Customary) and Customary (here, the New Customary) in parallel columns as the first volume of *The Use of Sarum*. His edition of the New Customary has been a standard text for over a hundred years, and has been widely used and cited. His principal source is Oxford, Corpus Christi College, MS 44 (NCC in this project). Frere also incorporated supplementary paragraphs, sections, sub-sections, and phrases from other sources, delineated by a system of bracketing. Variants were recorded in the footnotes. The editorial procedure adopted here is described overleaf: suffice to say that this is a reading of Frere's main text only, supplemented for the first time by a translation.

Because Frere presented the New Customary adjacent to the Old Customary in two columns, he re-ordered the text in order to match comparable passages from the two versions with one another; in some cases he needed to place passages from the same section in the New Customary in different parts of the edition. In this form it is difficult to read the New Customary in its original sequence.

This text follows the order of the principal source. It is, however, still possible to use this version alongside Frere since his sectional numbering is retained. It is also possible to compare the two texts online on the Sarum Customary Online website.

This is an interim version. It will be subject to revision in response to comment from readers, and musical notation will be added at those points marked =.

## Sarum Customary Online: The New Customary [NCF]

[www.sarumcustomary.org.uk](http://www.sarumcustomary.org.uk)

Project director and general editor: John Harper  
English translation and review of Latin text: Henry Howard

This version of the text and the translation are copyright © Bangor University, 2013

Comments and suggestions should be sent to [experienceofworship@bangor.ac.uk](mailto:experienceofworship@bangor.ac.uk)  
or by post to Sarum Customary Online, School of Music, Bangor University,  
Bangor LL57 2DG, UK

## Latin text

The text is broadly that presented by Frere in *The Use of Sarum*, I, but incorporating Frere's corrigenda. His paragraph breaks and capitalisation have been retained; consonantal u has been replaced with v, and consonantal I with J (capital letters only).

Editorial emendations have been recorded in footnotes.

No attempt is made here to reproduce Frere's indication of sources by his system of brackets, all of which have been deleted here, or his annotations of variants in footnotes. Rather, this represents a full reading of the main text, which represents what has most often been used by readers. For a full textual commentary on Frere's reading of the text, users should refer to his edition.

Numbering of sections and sub-sections is editorial, and from Frere's *Use of Sarum*, I.

= indicates musical notation in the source.

## Footnotes

All footnotes are supplied by the editors; where Frere is cited, this is made clear.

## Contents

- 1 De ordinacione chori sarum
- 2 De ingressu clericorum in choro et eorum egressu
- 3 De transitu clericorum ab una parte chori in oppositam
- 4 De officiis personarum
- 5 De officio cantoris
- 6 De officio cancellarii
- 7 De officio thesaurarii
- 8 De officio archidiaconi
- 9 De officio subdecani
- 10 De officio succentoris
- 11 De ordinacione chori in ecclesiis conventualibus vel parochialibus
- 12 De stacione facienda in choro per singulas horas secundum usum sarum ecclesie
- 13 De conversione chori ad altare per singulas horas
- 14 De prostracione facienda in choro per singulas horas
- 15 De alternacione chori per septimanas
- 16 Tabula communis de missis
- 17 De officio rectorum chori ad vespervas et ad matutinas et ad omnes alias horas et ad missam in festis simplicibus
- 18 Item de officiis rectorum chori in festis duplicibus
- 19 Divisio festorum duplicium in ecclesia Sarum
- 20 Hec sunt festa cum regimine chori secundum usum Sarum ecclesie
- 21 Hec sunt festa et octave in quibus invitatorium a tribus cantatur
- 22 De modo exequendi officium in festis maioribus duplicibus novem leccionum
- 23 De modo thurificandi altare
- 24 De chori thurificacione
- 25 De modo exequendi officium in festis minoribus duplicibus novem leccionum
- 26 De modo exequendi officium in festis inferioribus duplicibus novem leccionum
- 27 De modo exequendi officium in die pasche ad matutinas et ad alias horas et ad secundas vespervas
- 28 De modo exequendi officium in feria secunda ebdomade pasche
- 29 De tertia et quarta feria ebdomade pasche
- 30 De modo exequendi officium in octavis pasche
- 31 Adaptacio eiusdem servicii in aliis festis duplicibus in paschali tempore
- 32 De modo exequendi officium in ascensione domini
- 33 De modo exequendi officium in die pentecostes
- 34 De modo exequendi officium in secunda et tertia et quarta feria ebdomade pentecostes
- 35 De modo exequendi officium in quinta et sexta feria et sabbato ebdomade pasche et pentecostes
- 36 De modo exequendi officium in festis et octavis novem leccionum quando invitatorium a tribus cantatur
- 37 De modo thurificandi altare in omnibus simplicibus festis et in dominicis et in octavis et infra, in quibus chorus regitur, et in commemoracionibus beate marie per totum annum
- 38 De chori thurificacione
- 39 Adaptacio eiusdem servicii in aliis festis et octavis trium leccionum quando invitatorium est triplex, scilicet in paschali tempore

- 40 De modo exequendi officium in festis simplicibus novem leccionum et in diebus dominicis
- 41 De dominicis paschalis temporis
- 42 De modo exequendi officium infra octavas cum regimine chori et in singulis commemoracionibus beate marie extra tempus pasche
- 43 De modo exequendi officium in festis simplicibus cum regimine chori in tempore paschali et in singulis commemoracionibus beate marie eiusdem temporis
- 44 De modo exequendi officium in ferialibus diebus et in festis trium leccionum sine regimine chori
- 45 Hec sunt festa et octave in quibus invitatorium duplex habetur
- 46 De habitu clericorum in choro sarum per totum annum
- 47 De diversis coloribus indumentorum
- 48 De invitatoriis incipiendas
- 49 De leccionibus legendis in capis sericis
- 50 In quibus dominicis ultimum responsorium a duobus ad matutinas cantabitur
- 51 In quibus festis ultimum responsorium a duobus cantabitur ad matutinas
- 52 Ordo ad collacionem faciendam
- 53 In quibus festis simplicibus et dominicis responsorium ad primas vespervas a duobus de superiore gradu cantabitur
- 54 De modo exequendi officium in quinta sexta fera et sabbato ebdomade pasche et pentecostes
- 55 In qua hora procedat processio in letaniis dicendis
- 56 Regula de termino quatuor temporum
- 57 De modo legendi leccionum de martilogio in anno bisextili scilicet in festo sancti mathie apostoli et in precedente die
- 58 De cruce lignea quadragesime
- 59 Quando amoveri debent sepulcrum et magnus cereus paschali
- 60 Quando cooperiende sunt ymages per ecclesiam et de velo quadragesime
- 61 De pulsacione campanarum ad completorium et ad nonam et ad collacionem per totum annum
- 62 De accensione cerei paschalis
- 63 In quibus festis matutine dicuntur hora vesperarum
- 64 In quibus festis novem leccionem non legetur expositio evangeli ad matutinas
- 65 De benediccionibus dicendis per totum annum
- 66 Ordo misse
- 67 Memorie sanctorum
- 68 De modo terminandi oraciones generaliter per totum annum quandocunque dicende sunt
- 69 Gracie dicende diversis temporibus anni secundum antiquum usum ecclesie et episcoporum sarum
- 70 De duplici festo
- 71 Hec sunt festa in quibus ad secundas vespervas nulla fiet memoria de festis trium leccionum in crastino contingentibus

## 1. DE ORDINATIONE CHORI SARUM.

1. In superiore gradu quatuor principalium personarum stalla chori sunt Sarum terminalia; scilicet in introitu chori ex parte occidentali a dextris est stallum decani, et a sinistris cantoris: ex parte orientali in dextra parte chori est stallum cancellarii; ex opposito thesaurarii. Proximus decano stat in choro archidiaconus dorceti: deinde subdiaconus: proximus cancellario archidiaconus Wiltonensis: in medio autem stant canones dignitatibus proximiores, deinde vicarii presbyteri et pauci admodum diaconi qui etate et moribus exigentibus in superiori gradu tollerantur ex dispensacione. Cantori proximus in choro stat archidiaconus Berkishyre deinde succentor; proximus thesaurario alius archidiaconus Wiltonensis: deinde ceteri canonici et clerici modo predicto ordinantur.

1.2. In secunda forma priores habentur iuniores canonici: deinde diaconi: postea ceteri clerici.

In prima forma priores habentur pueri canonici: deinde ceteri pueri secundum etatis exigenciam.

## 2. DE INGRESSU CLERICORUM IN CHORUM ET EORUM EGRESSU.

Chorum intrantes clerici ita ordinate se habeant, ut si ex parte orientali intraverint, ad gradum se ad altare inclinent; postea ad episcopum si presens fuerit. Si vero ex parte occidentali ingressi fuerint, primo se ad altare inclinent, deinde ad decanum. Eodem moderamine chorum exeant.

## 3. DE TRANSITU CLERICORUM AB UNA PARTE CHORI IN OPPOSITAM.

Preterea si quis clericus ab una parte chori in oppositam [ ] in eundo et redeundo ad altare se inclinet<sup>1</sup>. Intrantes quoque clerici in locis suis ita ordinate se recipiant, ne formulas inordinate transiliant. Idem etiam exeuntes observant.

In choro nullum fiat murmur a clericis: nulla habeantur colloquia nisi ...<sup>2</sup>

## 4. DE OFFICIIS SINGULARUM SARUM ECCLESIE.

Decani officium est in omnibus canonicis et vicariis in animarum regimine et morum correccione premunire.

Preterea in omni duplici festo per annum absente episcopo et in prima dominica adventus domini et in dominica palmarum et in quarta feria in capite ieiunii et in tribus proximis diebus ante pascha et in vigilia pentecostes et in anniversariis episcoporum et decanorum eiusdem ecclesie, divinum tenetur exequi officium.

---

<sup>1</sup> Frere reads 'inclinent', marking corruption.

<sup>2</sup> The MS breaks off here.

## 5. DE OFFICIO CANTORIS.

5.1. Cantoris officium est chorum in cantuum elevacione et depressione regere: cantores et ministros altaris et etiam tabulam ordinare: ad illum eciam pertinent puerorum instructio et disciplina et eorum admissio in choro et ordinacio.

5.2. Preterea in festis maioribus duplicibus tenetur interesse regimini chori ad missam tantum cum ceteris rectoribus chori. Preterea in omni duplici festo rectores chori de cantibus iniungendis et incipiendis tenetur instruere. Preterea omnes cantus ab episcopo incipiendos ipsi episcopo in propria persona tenetur iniungere.

## 6. DE OFFICIO CANCELLARII.

Cancellarii officium est scolis regendis et libris corrigendis curam impendere: lecciones ascultare et terminare: sigillum ecclesie custodire: litteras et cartas componere, literas in capitulo legendas legere: lectores in tabula notare: omnes eciam lecciones ad missam que in tabula non scribuntur tenetur iniungere.

## 7. DE OFFICIO THESAURARII.

1. Thesaurarii officium est ornamenta et thesauros ecclesie conservare, luminaria administrare.

7.2. Sacristas quoque suis expensis tenetur thesaurarius exhibere; campanas ecclesie congrue suspensas in statu congruo observare, et earum usibus necessaria providere: ornamenta ecclesie suis expensis reficere: panem vinum aquam et candelas singulis altaribus ecclesie administrare, excepto parochiali: incensum, carbones, iuncum, mattas et stramen providere: iuncum videlicet in hiis festis videlicet in ascensione domini et pentecoste et in festo nativitatis sancti iohannis baptiste: et in assumptione et nativitate beate marie: stramen in his festis, in festo omnium sanctorum et in natali domini, et purificatione beate marie et in pascha: mattas in festo omnium sanctorum.

## 8. DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

Archidiaconi officiales sunt domini episcopi, quorum officium in exterioribus administracionibus consistit.

## 9. DE OFFICIO SUBDIACONI.

Subdiaconi officium est si decanus ecclesie defuerit, vices eius supplere; curam archidiaconatus in urbe et suburbio gerere.



## 10. DE OFFICIO SUCCENTORIS.

Succentoris officium est vices cantoris absentis supplere, scolas cantus per officialem suum gerere.

## 11. DE ORDINATIONE CHORI IN ECCLESIIS CONVENTUALIBUS VEL PAROCHIALIBUS.

In superiori gradu duo principalium personarum stalla chori sunt terminalia; scilicet in introitu chori ex parte occidentali a dextris est stallum excellencioris persone ipsius ecclesie, vice decani: et a sinistris secundarie persone, vice cantoris: deinde ex parte dextera stent presbiteri et alii clerici, qui etate et moribus exigentibus in superiori gradu tollerantur ex dispensacione. Juxta illos vero ex parte orientali stent ceteri clerici iuniores, et dicuntur clerici de secunda forma. Pueri vero si habeantur in area sint stantes et dicuntur clerici de prima forma. Simili modo ordinantur clerici ex alia parte chori.

## 12. DE STACIONE FACIENDA IN CHORO PER SINGULAS HORAS SECUNDUM USUM SARUM ECCLESIE.

12.1. Clerici de superiore gradu ad vespervas de die per totum annum stare tenentur in choro continue, nisi dum versus responsorii canitur, quando responsorium habetur: clerici vero de secunda forma semper sint stantes, nisi dum versus responsorii canitur quod dicitur ad gradum chori. Pueri vero sine omni excepcione ad vespervas stare tenentur continue, nisi in ebdomada pasche: tunc enim ad vespervas sedere debent una cum toto choro dum versus gradalis et *Alleluia* cantantur.

Ad completorium omnes clerici uniformiter per totam illam horam continue stare tenentur per totum annum, nisi quando fiunt preces in prostracione.

Ad matutinas vero stare tenentur omnes clerici per totum tempus nisi dum lecciones leguntur et responsoria cum suis versibus cantantur. Omnes etiam benedicciones ad matutinas per totum annum dicuntur a sacerdote interim sedente, nisi tantum prima quarta et septima leccio: tamen in die natalis domini tres ultime benedicciones stando dicuntur.

12.2. Ex dispensacione tamen clerici de superiori gradu et de secunda forma ex utraque parte alternis vicibus sedere possunt in psalmodia quandocunque ad matutinas nocturnus dicitur: et in omnibus festis trium leccionum, que fiunt cum novem psalmis: ita tamen quod quando aliquis ad unum psalmum sedeat, ei proximus interim stando psallat.

Ad laudes sicut ad completorium.

12.3. Ad primam et ad omnes alias horas omnes clerici uniformiter stare tenentur sicut ad completorium. De stacione et sessione facienda ad vespervas et ad matutinas de Sancta Maria, quando non fit plenum servicium de ea, et in servicio mortuorum, scilicet ad Placebo et Dirige, require in dominica prima adventus domini.

Ad missam autem omnes clerici stare tenentur, nisi dum lectiones vel epistola leguntur, Gradale *alleluya* et tractus cum suis versibus cantentur. In omnibus vero duplicibus festis stare debent omnes clerici, dum a choro *alleluya* cantatur, et ad vespervas in die pasche cum tribus diebus sequentibus. Pueri vero semper sint stantes ad missam, choro canente.

Rectores vero chori, cum duo tantum habentur, sequuntur per omnia regulam clericorum de secunda forma tam ad vespervas quam ad matutinas et ad missam: nisi quod semper dum chorus *alleluya* canit, stare tenentur: et in inceptione cantuum ad missam ad altare se convertunt: In duplicibus festis omnes rectores chori gestum chori per omnia imitentur.

12.4. Post primam vero in capitulo stare tenentur omnes clerici dum leccio de Martilogio legatur et abhinc usque post benedictionem super leccionem que legitur statim post ultimam oracionem: interim vero sedeant omnes clerici.

### 13. DE CONVERSIONE CHORI AD ALTARE PER SINGULAS HORAS.

13.1. Conversi autem ad altare tenentur stare omnes clerici in choro ad vespervas, ex quo dicitur *Deus in adiutorium* quousque incipiatur prima antiphona super psalmum. Clericus vero qui antiphonam incipit ad chorum stat conversus, et postquam inceptit antiphonam non statim vertat se ad altare inclinando caput, set expectet quousque versus illius psalmi ultimum dicitur. Et istud observandum est per totum annum in inceptione omni rectorum in quolibet gradu clericorum in conversione et inclinacione, a quocunque antiphona incipiatur.

13.2. Similiter et in inceptione cuiuslibet hore et quandocunque dicitur *Gloria patri*, omnes clerici stent conversi. In cantandis vero responsoriis generaliter observetur quod semper hiis vel hii, qui versum responsorii cantant, ab inceptione ipsius responsorii sint stantes conversi ad altare quousque versus cum *Gloria patri* (si *Gloria* habeatur) percantetur. Chorus quoque in ipsius responsorii inceptione se ad altare convertat quousque ipse chorus cantet. Similiter observetur in omnibus capitulis et collectis dicendis et in fine omnium ymnorum et in omnibus versiculis: observetur etiam post *Magnificat* et *Nunc Dimittis* et *Benedictus* ex quo *Gloria patri* dicitur quousque totum servicium illius hore expleatur.

13.3. Similis quoque modus observetur post ultimum versum ultimi psalmi cuiuslibet hore, quod scilicet chorus semper sit conversus ad altare quousque responsorium incipiatur (si responsorium habeatur) vel capitulum dicatur.

Sacerdos vero dicendo capitulum nec stallum nec habitum mutet sed dicendo ad altare se vertat ministerio pueri in capa nigra librum cum lumine deferentis: et hoc semper observetur ad omnes vespervas et ad matutinas principales et in festis quosciscunque capitulum dicitur ad easdem et in festis duplicibus excepto quod puer in superpelliceo cum lumine defert.

13.4. In laudibus vero fiet de conversione ut supra ad vespervas. Ad matutinas stat chorus ad altare conversus in inicio, quousque ultimo reincipiatur invitatorium, et in

singulis neupmis post ultimum versum psalmi ultimi quousque inchoetur lectio. Ad pronunciacionem evangelii ad ipsum lectorem stet chorus conversus, dum verba evangelii dicuntur scilicet quousque dicitur *Et reliqua*. In inceptione autem *Te deum laudamus* stet chorus ad altare conversus donec chorus psalmum cantet et dum ultimus versus canitur. Quando vero *Te deum* non dicitur, sed nonum responsorium repetitur, tunc ad altare convertat se chorus quousque incipiatur prima antiphona super laudes. In ceteris autem horis per totam horam predicto modo se habeat chorus post ultimum versum psalmi ultimi.

13.5. Ad missam predictus gestus attenditur, dum *Gloria in excelsis* inchoatur, quousque chorus cantet, et in eodem ymno ad hec verba *Adoramus te*, et ad hec verba *Suscipe deprecationem nostram* et in fine eiusdem cum dicitur *Jesu christe* usque ad epistolam vel leccionem: et in fine Gradalis vel *Alleluya* vel tractus vel sequencie vel prose, chorus ad altare se inclinet, antequam ad lectorem Evangelii se convertat.

Sit autem chorus conversus ad ipsum lectorem continue dum evangelium legitur, ita tamen quod ad *Gloria tibi domine* semper ad altare se convertat chorus, crucis signo se signans: quod ter ad missam publice observatur; scilicet ad *Gloria in excelsis* cum dicitur *In gloria dei patris*; et hic cum dicitur *Gloria tibi domine* et post Sanctus cum dicitur *Benedictus qui venit in nomine domini*.

Item ad inceptiorem *Credo in unum deum* stet chorus ad altare conversus, quousque ipse chorus cantet et interim in una conversione ad altare ter se inclinet, scilicet cum dicitur hec clausula, *Et incarnatus est de spiritu sancto, natus ex Maria virgine*. Secundo, *Et homo factus est*. Tercio, *Crucifixus eciam pro nobis sub Poncio pilato*. Et in fine cum dicitur, *Et vitam futuri seculi Amen*, quousque inchoetur offerenda, et post offerendam quousque totum servicium misse impleatur: hunc gestum chorus imitetur omni festo per annum.

#### 14. DE PROSTRACIONE FACIENDA IN CHORO PER SINGULAS HORAS.

14.1. In ferialibus diebus quando ad horas preces feriales dicuntur, tunc prosternant se omnes clerici ad omnes horas et ad completorium dum preces dicuntur, ex quo inchoatur primum *Kyrieleyson* quousque dicitur *Per dominum nostrum Jesum Christum* post oracionem: tunc solus sacerdos se erigat a prostracione cum dicitur *Exurge domine adiuva nos*. Ad completorium vero non erigit se chorus a prostracione ante quam finiatur oratio post psalmum *Ad te levavi*. Ad matutinas prostratus tenetur esse chorus cum dicitur *Pater noster* ante lecciones omni die per annum quando de feria agitur nisi in paschali tempore, quousque dicitur *Et ne nos*, et nisi quando expositio evangelii ad matutinas dicitur. Nunquam enim dicitur *Pater noster* vel aliqua alia oracio sedendo ad vespas nec ad matutinas neque ad missam, sed semper stando vel prosternendo, tam a sacerdote quam a toto choro per totum annum secundum usum Sarum ecclesie.

14.2. In laudibus prosternant se clerici dum preces feriales dicuntur, usque post primam collectam: similiter fiat ad vespas. Ad quamlibet missam, que de feria dicitur extra tempus paschale, fiat prostracio a toto choro statim post *Sanctus* usque *Pax domini*, licet *Sanctus* finiatur ante elevacionem corporis Christi. Ministri tamen circa altare non genuflectent sed quilibet in suo gradu stet.

Preterea in quadragesima fiat genuflexio in incepzione matutinarum laudum vesperarum completorii et cuiuslibet hore diei quando de feria agitur usque ad cenam domini. Prostratus eciam debet esse chorus in omni feria quando de feria agitur extra tempus paschale, et in vigiliis mortuorum trium leccionum: eciam ad Placebo, ex quo dicitur primum *Kyrieleyson* donec ultima oracio dicatur: Ad Dirige vero dum dicitur *Pater noster* ante lecciones, fiat eciam prostratio a toto choro donec dicitur *Et ne nos*. Post psalmum vero *Benedictus* eodem modo quo post psalmum *Magnificat* ad Placebo.

Preterea ab incepzione in feriis *O sapiencia* usque ad vigiliam natalis domini non fiant prostraciones in obsequiis mortuorum ad placebo nec ad dirige quando expositio evangelii ad matutinas de die habetur.

## 15. DE ALTERNACIONE CHORI PER SEPTIMANAS.

15.1. Alternis enim vicibus per septimanas chorus esse debet, scilicet una septimana ex parte decani et alia septimana ex parte cantoris. In omnibus tamen dupplicibus festis semper debet esse chorus ex parte decani per totum annum, si fuerit ibi personaliter presens, qui divinum officium in illis festis exequatur; nisi in ebdomada natalis domini, pasche et pentecostes. Tunc enim in illis continuis festis dupplicibus singulis diebus chorus mutatur.

15.2. In quibusdam tamen temporibus anni non per septimanas sed per singulos dies chorus mutatur: scilicet a die dominica proxima ante natale, quando in sabbato proximo precedente chorus uterque perficitur, usque ad octavam epiphanie si in dominica evenerit. Si autem in aliqua media feria contigerint, tunc enim usque ad proximam dominicam tunc sequentem observabitur. Si enim in proximo sabbato ante natale non fuerit vicissitudo utriusque chori pariter completa, tunc a die natalis domini usque ad predictum terminum singulis diebus chorus mutatur.

Item a cena domini usque ad octavas pasche variatur chorus per singulos dies. Rectores tamen ebdomadarii ante diem pasche non mutantur: a die autem pasche usque ad octavam eiusdem singulis diebus variantur.

Simile quoque observetur in ebdomada pentecostes usque ad festum sancte trinitatis.

15.3. Qua dominica eciam tabula communiter id est per dies discurrit, singulis diebus immutantur rectores. Ab incepzione enim communis tabule in omni dupplici festo scribuntur duo rectores de secunda forma per ordinem, facta incepzione a principali capite formarum.

In omni vero dupplici festo duo principales rectores scribantur pro voluntate ipsius cantoris; secundarii vero secundum ordinem predictum.

## 16. TABULA COMMUNIS DE MISSIS

16.1. Sciendum est quod singulis diebus dum tabula communiter discurrit, hoc est per

dies, mutatur puer in capitulo missa evangelium epistola, ita scilicet quod ipse puer lector in capitulo, cuius officium est deferre librum ad legendas lecciones ad matutinas et ad collectas dicendas, mutatur a die natalis domini quando in dominica evenierit usque ad circumcisionem domini, vel usque ad dominicam proximam sequentem: deinde sequatur tabulam dominicalem.

16.2. Ad missam nullus scribatur in festis duplicibus: in ceteris vero diebus per ordinem matricule scribantur presbyteri. Ad evangelium vero et ad epistolam scribantur canonici tam in festis quam in profestis singulis diebus eo ordine quo scribuntur in matricula. Et si ordo presbiterorum diaconorum subdiaconorum quo scribuntur in matricula possit<sup>3</sup> extendi usque ad secundam vel terciam feriam, tunc proxima dominica precedente fiat tabula ebdomadaria. Eadem [...] vacantibus<sup>4</sup> ad predicta officia exequenda scribantur clerici pro voluntate componentis tabulam.

Incipienda est autem hec tabula communis de missa et epistola et evangelio die dominica proxima ante natale domini, nisi quando dies natalis domini die dominica contigerit: tunc enim ipsa die natalis sumit initium.

16.3. Secunda vero tabula communis de eisdem incipiat die dominica palmarum, durans per ordinem presbiterorum usque ad ultimum: per ordinem reliquorum non nisi usque ad octavas pasche, sive ibi terminatur sive non.

16.4. Tercia tabula communis de eisdem incipit proxima dominica ante ascensionem domini durans per illam ebdomadam tantum: que iterum die pentecostes incipit, sumpto initio ab illo in quo proxima terminata est, durans usque ad festum sancte trinitatis vel ulterius quantum ad presbiteros, sicut supra in secunda tabula.

16.5. Transcursa vero tabula communi, revertitur ad solitum cursum tabule ebdomadarie, sumpto ipsius initio ubi ante natale fuerit terminata.

Huius tabule communis dispositio<sup>5</sup> locum habet in omni tabula communi per annum.

## 17. DE OFFICIO RECTORUM CHORI AD VESPERAS ET AD MATUTINAS ET AD OMNES ALIAS HORAS ET AD MISSAM IN FESTIS SIMPLICIBUS.

17.1 . In simplicibus festis cum regimine chori et in dominicis principalibus rector chori ab initio in vesperis antiphonam super psalmos et psalmi intonacionem et differenciam a cantore querit, et in quo gradu debet incipi: hoc quesito, exequatur illud iuxta cantoris responsionem. Si plures antiphone fuerint super psalmos, secundam antiphonam et quartam secundarius rector eodem ordine et eodem gradu inquirat et iniungat. Si vero responsorium ad vesperas sit cantandum, tunc principalis rector post incepcionem quarti psalmi responsorium a cantore inquirat, et a quo vel a quibus sit cantandum: si vero fuerit a duobus cantandum, tunc principalis rector secundario responsorium significet, et a quo sit cantandum ex sua parte. Si vero ab uno sit cantandum; tunc in sua parte principalis rector cui ipse voluerit illud iniungat.

<sup>3</sup> Frere's edition of the Old Customary (OCF) reads 'non possit', reversing the meaning of this clause.

<sup>4</sup> The scribe has apparently omitted words here. Frere's Old Customary reads 'Eadem regula servetur de ordine singulorum officiorum, ita ut in mediis feriis vacantibus'.

<sup>5</sup> Frere reads 'communis vel dispositio', marking 'vel' as corrupt.

Deinde ipse rector ymnum et versiculum et antiphonam super *Magnificat* et memorias et earum ordinem a cantore querat. Hiis omnibus quesitis, ipsemet illum inchoet: quod de omni ymno incipiendo semper observetur, cum duo tantum rectores fuerint in choro; nisi de inceptio ymni *Ave maris stella*, quem omnes rectores ad altare conversi semper simul incipiant. Versiculum si a duobus sit dicendus principalis rector per se et secundarium duobus<sup>6</sup> pueris ex duabus chori partibus iniungat<sup>7</sup>. Si autem ab uno solo versiculus, per se tantum. Deinde antiphonam super *Magnificat* iniungat et psalmum ipsum inchoet.

17.2. Dum dicitur oratio, cui voluerit *Benedicamus* iniungat; et si duplex festum fuerit, secundarius ex sua parte iniungat.

Memorias simul ipsi rectores incipiant: ultimum vero *Benedicamus* secundarius semper ex sua parte iniungat: et, si duplex fuerit festum, uterque.

Sciendum est autem quod ad utrasque vespervas et ad matutinas et ad missam tantum regitur chorus quandocumque regendus est.

Ad completorium officium principalis rectoris est iniungere versiculum et antiphonam super *Nunc dimittis* cui voluerit.

In quadragesima autem, antiphona *Media vita* vel *O rex gloriose* reincepta post psalmum *Nunc dimittis* queratur versus a rectore si in simplicibus festis a duobus chori pariter, in duplicibus a duobus rectoribus principalibus.

17.3. Ad matutinas officium principalis rectoris est, in primis invitatorium a cantore querere et cantum psalmi *Venite*: deinde cum socio suo invitatorium incipiat et psalmum simul cantent.

Postea principalis rector querat a cantore ymnum et primam antiphonam super psalmos: deinde versiculum suo loco et primam antiphonam super laudes: et cetera omnia ut supranotatum est ad vespervas sunt exequenda.

Ad primam principalis rectoris officium est antiphonam super psalmum *Quicumque vult* iniungere, et responsum *Jesu christe* cui voluerit.

17.4. Ad missam officium principalis rectoris est a cantore in primis officium misse inquirere deinde socio suo illud intimare: postea illud simul incipiant et psalmum intonent, et *Gloria patri* incipiant. Deinde eodem modo *Kyrieleyson* queratur et intimetur et incipiatur: deinde sequencia offerenda *Sanctus* et *Agnus* et communio predicto modo querantur et intimentur et incipientur.

Preterea in profestis diebus per totam ebdomadam eiusdem est officium ad vespervas versiculum et antiphonam super *Magnificat* querere et iniungere et *Benedicamus* iniungere.

---

<sup>6</sup> Frere reads 'a duobus'.

<sup>7</sup> Frere reads 'iniungatur'. The grammar of Frere's reading is clearly faulty, suggesting the text is slightly garbled.

Ad completorium ut supra.

Ad matutinas in profestis diebus invitatorium querere et cantare; et versiculum et antiphonam super *Benedictus* querere et iniungere et *Benedicamus* iniungere.

Ad primam, responsum *Jesu christe* iniungere.

## 18. ITEM DE OFFICIIS RECTORUM CHORI IN FESTIS DUPPLICIBUS.

18.1. In festis duplicibus omnes quatuor rectores simul totum invitatorium cantent antequam a choro repetatur, et totum psalmum *Venite* simul cantent. Deinde principalis rector et suus collateralis simul ymnos incipiant et psalmos intonent et secundarius cum suo collateralis ex sua parte eodem modo se gerant. Preterea ipsi collateralis versiculos et *Benedicamus* iniungant.

Ad primam vero collateralis rector ex parte chori responsum *Jesu Christe* iniungat.

18.2. Ad missam vero principalis rector *Gloria in excelsis* a cantore querat et sacerdoti iniungat. Cetera autem omnia sicut in simplicibus festis de duobus dictum est exequantur.

Preterea sciendum est quod si aliquis rector chori in simplicibus festis in tabula scribitur ad cantandum solus, capam sericam interim non deponat. Si autem cum alio cantaverit in habitu se illi conformet. Preterea si ad legendum scribitur in tabula habitum extra chorum assumat.

## 19. DIVISIO FESTORUM DUPLICIUM IN ECCLESIA SARUM.

19.1. Hec sunt festa duplicia in ecclesia Sarum principalia. Principalia Sarum:  
dies natalis domini,  
dies epyphanie,  
dies pasche,  
dies ascensionis domini,  
dies pentecostes,  
dies assumptionis beate marie,  
festum dedicacionis Ecclesie  
et festum loci.

Maiora set non principalia festa scilicet:

dies purificationis beate marie,  
festum sancte trinitatis,  
festum de corpore Christi,  
festum reliquiarum,  
Nativitas beate Marie virginis  
et festum omnium sanctorum;  
festum sancte anne matris marie;  
festum sancti stephani protomartyris.

Hec sunt festa maiora dupplicia

Festum sancti Johannis apostoli et evangeliste, sanctorum innocencium, sancti thome martyris, dies circumcisionis domini et annunciacionis beate marie: feria secunda tertia et quarta ebdomadatum pasche et pentecostes: dominica in octavis pasche: invencio sancte crucis, nativitas sancti iohannis baptiste, apostolorum petri et pauli, translacio sancti thome martyris: exaltacio sancte crucis: et festum conceptionis beate marie virginis.

Hec sunt inferiora festa dupplicia scilicet Sancti andree apostoli, thome apostoli, mathie apostoli, gregorii pape et doctoris, ambrosii episcopi et doctoris, marci evangeliste, apostolorum philippi et Jacobi, sancti augustini anglorum apostoli: sancti iacobi apostoli, sancti bartholomei apostoli, augustini episcopi et doctoris, mathei apostoli et evangeliste, michaelis archangeli, sancti ieronimi presbiteri et doctoris, translacio sancti regis edwardi et confessoris, luce evangeliste et apostolorum symonis et iude.

19.2. In hiis festis dupplicibus chorus regitur a quatuor clericis quorum duo principales semper erunt de superiore gradu, duo secundarii quandoque erunt de superiore gradu quandoque de secunda forma.

De superiore gradu erunt [ ] die natalis domini et tribus diebus sequentibus ad placitum. In die epiphanie, die pasche et secunda feria, in die ascensionis, in die pentecostes et secunda feria: in die assumptionis beate Marie virginis, et in dedicacione ecclesie erunt omnes de superiore gradu. In ceteris dupplicibus erunt secundarii de secunda forma.

19.3. Omnia festa que non sunt dupplicia, in quibus chorus regitur, dicuntur simplicia. In talibus itaque chorus regitur a duobus tantum de secunda forma.

In maioribus autem dupplicibus festis committitur discrecioni cantoris, quos velit, ad chorum regendum ordinare: ita tamen provideat, quod semper principales sint canonici si tot fuerint presentes. In aliis vero festis dupplicibus erunt principales canonici ebdomadarii. Secundarii iuxta cantoris discrecionem eligantur de secunda forma.

In simplicibus festis tenentur chorum regere ebdomadarii, qui scilicet in tabula dominicali scribuntur ad invitatorium dicendum: et hii quidem chorum regent, quandocunque regendus est, infra quindecim dies continuos per totum annum quando tabula per septimanas integras discurrit; ita quod qui in prima ebdomada est principalis, in secunda sit secundarius; et vice versa.

## 20. HEC SUNT FESTA CUM REGIMINE CHORI SECUNDUM USUM SARUM ECCLESIE.

Solet autem chorus regi omni die dominica et in omni dupplici festo et in omni festo novem leccionum per totum annum nisi in tribus diebus ante pascha et in commemoracione animarum; et a primis vespis Natalis domini usque ad octavas epiphanie, et in ipsis octavis, nisi in vigilia epiphanie cum extra dominicam evenerit;



et cotidie per ebdomadas pasche et pentecostes, et in quibusdam festis simplicibus trium leccionum in paschali tempore.

In festo sancti Ricardi episcopi, Georgii, Vitalis, Johannis ante portam latinam, Dunstani, Aldelmi, Edmundi archiepiscopi, et sancti barnabe apostoli ; et cotidie per octavas et in octava ascensionis domini, assumptionis et nativitatis beate marie et in singulis commemoracionibus eiusdem per totum annum et in commemoracionibus de festo loci, et cotidie per octavas et in octava dedicacionis ecclesie ubi per estatem vel in tempore paschali contigerit et in octava die corporis Christi et apostolorum petri et pauli.

## 21. HEC SUNT FESTA ET OCTAVE IN QUIBUS INVITATORIUM A TRIBUS CANTATUR.

Cantatur invitatorium a tribus in hiis festis scilicet sancti nicholai, octave<sup>8</sup> epyphanie, conversionis sancti pauli, cathedra sancti petri, iohannis ante portam latinam, octave ascensionis domini, translacionis sancti edmundi archiepiscopi, barnabe apostoli, octave de corpore Christi, commemoracionis sancti pauli, octave apostolorum petri et pauli, marie magdalene, ad vincula sancti petri, laurencii, octave assumptionis beate marie, decollacionis sancti iohannis baptiste, octave nativitatis beate marie, sancti michaelis in monte tumba, martini episcopi, sancti edmundi archiepiscopi et in octavis dedicacionis ecclesie.

## 22. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS MAIORIBUS DUPLICIBUS NOVEM LECCIONUM.

22.1. In maioribus dupplicibus festis sicut in die nativitatis domini, epyphanie domini, purificatione beate marie, festum sancte trinitatis et corporis christi et in assumptione beate marie et nativitate eiusdem et in festo reliquiarum et dedicacionis ecclesie et omnium sanctorum et in festo sancti loci, episcopus cum presens est ad officium exequendum intrare solet interdum in pontificalibus, scilicet in capa serica cum mitra cerotecis et baculo, et ea non exuere priusquam *Deus in adiutorium* inchoaverit ad completorium. In maioribus festis dupplicibus ac festis simplicibus sedem suam intrat in habitu chori, et in quarto vel in quinto psalmo induit capam sericam cerotecas et mitram assumens baculum ad capitulum dicendum; quibus exuitur post incepcionem *Deus in adiutorium* in completorio, ut supra dictum est.

22.2. Ad primas vespas super primum psalmum primam antiphonam incipiat excellencior persona post illum qui exequitur officium illius diei. Qui dum incipit ad chorum stet conversus: in fine autem primi versus ipsius psalmi ad altare se inclinet; quod eciam observetur per totum annum in conversione et inclinacione et a cuiuslibet gradus clerico antiphona incipiatur.

Secunda antiphona ab excellenciore persona alterius partis chori incipiatur, et sic discurrant singule antiphone pro personarum dignitate. Solus episcopus in capa serica si presens fuerit loco nec habitu mutato yma voce dicat capitulum.

---

<sup>8</sup> Frere notes that the MS reading in each case is oct'.

Cantor et alie due persone pro dispositione ipsius cantoris in capis sericis vel alii tres clerici de superiore gradu, quorum duo semper erunt ex parte chori principali, tercius, qui cum eis canendo ad gradum chori in medio stat, de altera parte accipitur, cantent responsorium, scilicet incipiant et suum versum cantent.

Post tercium vero psalmum quatuor pueri, accepta licencia a rectoribus, egrediantur in vestiari ut se induant albis cum amictibus, duo ad deferendos cereos et alii duo ad thuribulos portandos.

Post inchoacionem quarti psalmi exeant tres clerici qui assignati sunt ad responsorium, in vestiario ad capas de serico assumendas.

Hoc autem per totum annum observetur scilicet quod hiis vel hii qui versum responsorii cantent, ipsum responsorium incipiant; et statim percantetur a choro sed non repetatur primum verbum sicut fit in gradalibus: et sic fiat tam ad vespervas quam ad matutinas, et ad horas quando responsorium super horas dicitur: preterquam in simplicibus obsequiis mortuorum novem leccionum, in quibus omnia responsoria preter ultimum a cantore vel a succentore incipiantur.

22.3. Dum ymnpus canitur duo pueri qui serviunt de thuribulis duas capas de serico deferant principali sacerdoti quarum alteram alii sacerdoti pro voluntate sua transmittat, ad secum thurificandum altare.

Versiculum dicant duo pueri in superpelliceis ad gradum chori in medio pariter stantes.

Antiphonam super *Magnificat* excellencior persona ex parte chori incipiat. Et si episcopus fuerit presens cantor ipsam antiphonam iniungat ei.

## 23. DE MODO THURIFICANDI ALTARE.

23.1. Post inchoacionem antiphone super psalmum *Magnificat* procedat executor officii cum alio sacerdote post illum excellentiore<sup>9</sup>, thure in ipsius thuribulo<sup>10</sup> ab ipso principali sacerdote ad gradum chori imposito, ad thurificandum altare cum duobus thuribulariis de quorum uno ministrabit puer ebdomadarius, de reliquo vero alius puer pro dispositione sacristarum.

23.2. Facta itaque genuflexione ante altare osculentur gradus altaris: deinde surgant et thurificent altare, primo in medio, deinde ex utraque parte principalis in dextra parte tercio in medio: exinde ymaginem de sancto de quo est ecclesia.

Deinde excellencior thurificando altare circumeat: secundario vero ex parte altaris boreali interim stante, postea thurificent simul ex utroque latere principali ex parte australi. Secundarius autem ex parte boreali ut prius dictum est.

---

<sup>9</sup> Frere reads: 'cum alio sacerdote post illum excellentiorem persona sacerdote'.

<sup>10</sup> Frere reads 'thuribuli', and marks corruption at 'in'.

23.3. Ad alia quoque altaria circa presbiterium thurificanda excellencior sacerdos exeat per hostium presbiterii boreale, procedentibus uno ceroferario uno turribulario et sacrista in manu virgam gestante procedente ductore, primo ad altare sancti Marci et secundo ad altare sancte Katerine dehinc ad altare apostolorum ultimo ad altare omnium sanctorum quod dicitur *Salve*.

Secundarius per hostium presbiterii australe predicto modo exeat cum altero ceroferario et cum altero turribulario, primo ad altare sancti Nicholai, dehinc ad altare Sancte Marie magdalene, ultimo ad altare sancti stephani. Si episcopus autem fuerit officii executor ipse cum excellenciore persona autenticum altare tantum thurificat, ipse autem circueat altare et eiusdem dextrum cornu thurificet, dicto excellenciore thurificante sinistrum cornu. Si episcopus non fuerit presens, tunc excellencior thurificando altare circueat, secundario vero ex parte altaris boreali interim stante; postea thurificent simul ex utroque latere principali ex parte australi.

23.4. In die tamen pasche et per ebdomadam thurificetur sepulchrum domini post primam thurificacionem altaris, scilicet antequam thurificator altaris circueat.

Hiis itaque peractis ad extremum gradum ante altare uterque se inclinat ad altare, episcopo postea incensante tumbam domini Symonis episcopi, excellenciore vero tumbam domini Rogeri episcopi. Deinde ipse secundarius cum capellano episcopi procedant ambo per hostium presbiterii boreale ad thurificandum cetera altaria per ecclesiam, excellencior persona in unam partem secundarius in alteram, sicut supra. Quibus thurificatis, ambo convenient ad hostium presbiterii ex parte australi, et sic intrent et thurificent episcopum in sua sede.

Deinde inferior incenset superiorem ante gradum chori, et hoc in aliis dupplicibus quando non incensantur omnia altaria.

Similiter observetur quod scilicet excellencior post episcopum et ipsius episcopi capellanus simul thurificent episcopum in sede sua et inferior superiorem ut supra.

Set si episcopus fuerit presens et non exequatur officium, excellencior et secundarius simul incensent episcopum et hoc verum si occupet sedem suam: et cetera ut supra. Si episcopus non fuerit presens secundarius incenset superiorem in stallo sacerdotali ebdomadario ad hoc officium constituto ceroferariis ibidem astantibus.

## 24. DE CHORI THURIFICACIONE.

24.1. Deinde pueri thuribulis thurificent rectores chori, incipientes principalibus: postea unus eorum thurificet superiorem gradum ex parte decani, incipiens ab ipso decano vel a proximiore stallo, eo absente: exinde secundas formulas et primas formas eodem ordine: alius vero puer thurificet superiorem gradum ex parte cantoris simili modo.

24.2. Solus episcopus locum non mutat dicendo collectam. Si vero episcopus non exequatur officium, tunc executor ad gradum chori dicet oracionem.

Finita antiphona post *Magnificat* dicat sacerdos oracionem ad gradum chori, ceroferariis ad eum conversis, unus a dextris et alius a sinistris: quod per totum observetur ad vespervas et ad matutinas quando chorus regitur et in cena domini ad vespervas tantum. Si vero episcopus officium exequitur tunc ad collectam dicendam locum non mutat.

*Benedicamus* a duobus de secunda forma in superpelliceis dicitur, in medio choro inter rectores principales et secundarios pariter stantibus.

Secundum vero *Benedicamus* si habeatur, a duobus pueris in superpelliceis post sacerdotem pariter stantibus dicatur. Caveat executor ne completorium incipiat priusquam rectores reversi in chorum se inclinaverint ad gradum chori.

24.3. Ad completorium antiphonam super psalmos unus de superiore gradu incipiat. Versiculum dicat quidam puer, loco nec habitu mutato. Antiphonam super psalmum *Nunc dimittis* incipiat unus de excellencioribus pro dispositione cantoris. Cetera omnia, que ad completorium pertinent, more solito compleantur.

24.4. Ad matutinas invitorium cum toto psalmo *Venite* a quatuor rectoribus chori in capis sericis ad gradum chori simul cantetur. Antiphone super psalmos eodem modo et ordine hinc inde discurrant, sicut ad primas vespervas.

Singuli versiculi a duobus pueris in superpelliceis ad gradum chori in medio pariter stantibus dicuntur.

Sex lecciones in superpelliceis in pulpito legantur; septima, octava et nona in capis sericis ibidem legantur.

Sciendum est autem quod omnes lecciones ad matutinas de die per annum tam in festis quam in profestis et feriis, et etiam in die animarum, in pulpito legantur, nisi cum episcopus legat: tunc enim ipse solus locum non mutat. Lectores autem et cantores ad vespervas et ad matutinas et ad missam postquam legerint et cantaverint coram episcopo ad benediccionem se humilient.

Dum evangelia leguntur deponatur mitra episcopi et baculus sibi detur. Dum vero aliqua leccio legitur illi clerici qui ad responsorium cantandum pretitulati sunt, exuant capas nigras et almucias et in extrema parte prime forme interim sedeant: quod eciam per totum annum observetur ad matutinas, quandocunque responsorium a duobus vel a tribus cantatur.

24.5. Ordinantur eciam lectores et cantores ad lecciones legendas et responsoria cantanda pro dispositione tabulam componentis, ut lecciones pro dignitate personarum ita gradatim ascendant ut semper excellencior persona extremam legat. Et tunc ab ipso excellenciore dicitur *Jube domine*, et si episcopus fuerit tantum.

Notandum quod in festis dupplicibus principalibus episcopus officii executor, dum octavum cantatur responsorium, si prius in illis matutinis non fuerit in pontificalibus, capam sericam cerotecas et baculum cum mitra assumere solet. Ad nonam leccionem legendam hoc modo episcopus dicit

=*Jube dompne benedicere.*

chorus respondeat sic

*Ora pro nobis pater.*

deinde episcopus dicat benedictionem.

Episcopus vero erit in predicto habitu in nocte natalis domini per totam primam missam et donec laudes fuerint percantate prout communiter fieri consuevit in omnibus maioribus: in aliis vero dupplicibus minoribus quando non legit episcopus, ad nonum responsorium assumit capam et cetera ut supra ad thurificandum altare: quam non exuit priusquam *Deus in adiutorium* in laudibus inceperit, quam reassumit dum cantatur in laudibus quinto psalmo.

Simili quoque modo cantores responsoriorum ordinentur, scilicet ut eorum quoque ita fiat ascensus ut tres excellenciores qui non legerint, ultimum responsorium cantent: ita etiam ut primam et secundam leccionem duo clerici de secunda forma legant: terciam quoque et sic deinceps clerici de superiore gradu.

24.6. Primum et secundum responsorium a duobus de secunda forma, tertium a tribus de eadem forma cantetur in superpelliceis ad gradum chori in medio pariter stantes; quartum responsorium et sic deinceps a clericis de superiore gradu in superpelliceis ad gradum chori cantentur supradicto modo: ita quod sextum responsorium et nonum a tribus dicuntur in superpelliceis ad gradum chori ita quod ipse clericus qui solus est in medio stat: quod eciam per totum annum observetur quandocunque responsorium vel gradale vel *Alleluya* a tribus cantatur tam ad gradum chori quam in pulpito.

24.7. In festo vero omnium sanctorum servatur ordo preposterus in leccionibus legendis et responsoriis cantandis quantum ad dignitatem lectorum et cantorum: ita scilicet quod excellencior persona primam leccionem legat, et ita fiat descensus, et legantur tres prime lecciones in capis sericis. Octava vero leccio a puero legatur, et nona leccio ab aliquo sacerdote de superiore gradu ex parte chori.

24.8. Preterea octavum responsorium a quinque pueris in superpelliceis et amictibus capita velatis, cereos quoque arduentes singulis deferentibus, ad gradum chori stantibus conversis ad altare, cantatur: simili quoque modo fiat in die nativitate domini ad primum versum primi responsorii supra autenticum altare cantatur ad chorum conversis.

24.9. Sciendum est autem quod in singulis nocturnis, scilicet ad secundam et ad quintam et ad octavam leccionem thurificatur altare ab aliquo sacerdote in capa serica ex utraque parte chori vicissim assumpto: chorus quoque ab uno solo puero.

Finito nono responsorio, sacerdos in capa serica, loco non mutato, incipiat *Te deum laudamus*. Postea cum suo secundario sacerdote, thure ipsius thuribuli ab ipso principali sacerdote ante gradum chori imposito, altare thurificet predicto modo: cetera autem altaria non thurificentur sed principalis sacerdos thurificetur a suo secundario eciam in ingressu stalli scilicet super gradum inter formulas, ceroferariis vero interim ad gradum chori expectantibus quousque thurificetur chorus.

24.10. Sciendum tamen quod quandocunque presens fuerit episcopus, ab eo super thus a sacerdote vel diacono turribulis imponendum fiat benedictio, loco non mutato: sic videlicet accedant ceroferarii coram episcopo unus ad cornu sedis occidentale et alius ad orientale: thus vero in medio benedicatur: quod observandum est tam in singulis

nocturnis quando in ipsis incensatur altare quam ad *Magnificat* vel *Benedictus*: chorus etiam a duobus pueris incensetur supradicto modo. Quando vero non dicitur *Te deum laudamus* sed nonum responsorium repetitur tunc non thurificetur altare nec chorus.

24.11. Finito *Te deum* si episcopus presens fuerit in sede sua dicat versiculum ante laudes: si vero presens non fuerit executor officii dicat versiculum ante laudes, loco nec habitu non mutato.

Ad laudes omnes antiphone in superiore gradu discurrant per ordinem ut in ceteris antiphonis prius inceptis non continuatis.

Capitulum et cetera omnia que ad matutinas pertinent, eo modo et ordine expleantur, quo ad primas vespervas, excepto quod ad matutinas non thurificetur nisi principale altare et chorus.

Preterea in die natalis domini tantum primum *Benedicamus* dicitur a duobus de superiore gradu in superpelliceis inter rectores principales et secundarios: et respondeatur ab aliis duobus de eodem gradu, loco et habitu predicto servato.

24.12. Ad primam, antiphona super psalmos in superiore gradu incipiatur: antiphona super *Quicumque vult* secundo excellenciore ex parte chori. Responsorium *Jesu christe* ab aliquo de secunda forma pro voluntate rectoris secundarii, loco nec habitu mutato, dicitur. Cetera que ad primam pertinent more solito expleantur.

24.13. Ad terciam, antiphona in superiore gradu incipiatur: responsorium ab aliquo de secunda forma pro voluntate rectoris secundarii, loco nec habitu mutato, dicitur.

Capitulum et collectam dicat sacerdos, loco nec habitu mutato, sed ad altare conversus.

Similis modus et ordo observetur in ceteris horis dicendis.

24.14. Ad secundas vespervas prima antiphona super psalmos pro voluntate ipsius cantoris ab aliquo in superiore gradu incipiatur: secunda antiphona, si quinque habeantur, simili modo ex opposito et ita de ceteris.

Responsorium a tribus de excellencioribus pro dispositione cantoris cantetur.

Cetera omnia ut supra ad matutinas expleantur.

Ad completorium omnia fiant ut supra ad primum completorium.

## 25. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS MINORIBUS DUPPLICIBUS NOVEM LECCIONUM.

25.1. In festis etiam minoribus dupplicibus ut in festis conceptionis beate marie et in festo sancti thome martyris, circumcisionis domini, annunciacionis beate marie, nativitatis sancti iohannis baptiste, apostolorum petri et pauli, translacionis sancti thome martyris et in exaltacione sancte crucis potest predictus modus servari.

Excepto quod in hiis festis ad primas vespervas et ad secundas vespervas in annunciacione et nativitate sancti iohannis baptiste et festo apostolorum petri et pauli una sola antiphona dicitur super psalmos, et illa in superiore gradu debet incipi pro voluntate cantoris. Preterea in omnibus festis predictis ad vespervas non incensatur nisi principale altare.

25.2. Ad matutinas in nocturnis nequaquam incensatur altare nec chorus.

Preterea prima tertia quinta septima et nona lecciones a singulis clericis ex parte chori legantur, ascendendo gradatim ut supra diximus. Relique vero lecciones a clericis ex alia parte chori iuxta predictum ordinem legantur: quod per totum annum observetur quandocunque novem lecciones habeantur: nisi in festis maioribus dupplicibus tantum: tunc enim tres ultime lecciones cum suis responsoriis a dignioribus personis ascendendo gradatim legantur et cantantur, licet omnes sint ex una parte.

Similiter fiat in festo omnium sanctorum in primo nocturno. Primum secundum quartum quintum septimum et octavum responsoria a duobus cantentur ascendendo gradatim scilicet ab aliquo ex parte chori et ab alio ex altera parte chori ex eadem forma. Tercium quoque responsorium et nonum a tribus, scilicet a duobus ex parte chori et a tercio ex alia parte chori et de eadem forma: sextum vero responsorium similiter a tribus, scilicet ab uno ex parte chori et a duobus ex alia parte chori et ex eadem forma.

Preterea ultima leccio non semper ab excellenciore legatur sed ab excellenciore ex parte chori.

Preterea in his festis nulla leccio nisi in superpelliceo legatur.

## 26. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS INFERIORIBUS DUPPLICIBUS NOVEM LECCIONUM.

26.1. In inferioribus vero dupplicibus festis novem leccionum ut in festo sancti andree apostoli, thome apostoli, mathie apostoli, Georgii-, ambrosii, iacobi apostoli, bartholomei apostoli, augustini episcopi et doctoris in mense augusti augustini anglorum episcopi<sup>11</sup>, mathei apostoli et evangeliste, micahelis archangeli, ieronimi presbyteri et doctoris, translationis sancti Edwardi regis et confessoris, luce evangeliste, et apostolorum symonis et iude predictus modus et ordo servicii servatur: excepto quod in hiis festis prima leccio a puero legatur, secunda et tertia lecciones a clericis de secunda forma legantur; preterea nulla leccio nisi in superpelliceo legatur. Primum responsorium a duobus pueris de prima forma cantetur: similiter et secundum et tercium responsorium a duobus de secunda forma. Quartum in superiore gradu, et ita deinceps. Preterea nullum responsorium a tribus cantatur nisi nonum responsorium.

26.2. Ad laudes omnes antiphone in secunda forma discurrant pro dispositione cantoris.

---

<sup>11</sup> sic

Quando vero festum sancti ambrosii vel sancti marci evangeliste vel apostolorum philippi et iacobi in paschali tempore contigerit, tunc sequatur modum et ordinem sicut in dominica in octavis pasche subnotatum est.

## 27. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN DIE PASCHE AD MATUTINAS ET AD ALIAS HORAS ET AD SECUNDAS VESPERAS.

27.1. In die pasche ad matutinas tres antiphone super psalmos eodem modo discurrant sicut tres prime antiphone in aliis festis maioribus dupplicibus novem leccionum et tres lecciones cum suis responsoriis sicut in tercio nocturno diei in aliis festis maioribus dupplicibus novem leccionum.

Preterea altare non thurificetur hac die, nisi ad *Te deum* et ad *Benedictus*.

In laudibus antiphone et cetera eodem modo discurrant ut in die natalis domini et in predictis maioribus dupplicibus festis.

27.2. Ad primam et ad alias horas in antiphonis incipiendis idem modus servetur qui in predictis maioribus festis dupplicibus. Versiculum<sup>12</sup> tamen ante collectam ad omnes horas per totam hanc ebdomadam dicat sacerdos.

27.3. Ad secundas vespere rectores chori ex parte chori ad chorum conversi incipiant *Kyrieleyson*.

Antiphona super psalmos in superiore gradu incipiatur pro voluntate cantoris: Gradale a duobus ex hiis qui cantaverint ad missam cum eodem versu cantetur in superpelliceis. Similiter *Alleluya* a<sup>13</sup> duobus ex illis qui cantaverint ad missam de superiore gradu in simili habitu. Cetera omnia usque ad processionem ut in die natalis domini et in aliis festis maioribus dupplicibus.

27.4. Dicto primum *Benedicamus* eat processio ad fontes per ostium presbiterii australe cum cruce et ceroferariis turribulis oleo et crismate, et puero librum deferente ante sacerdotem: et omnes illi albis sint induti, preter puerum qui defert librum, qui sit in superpelliceo et preter sacerdotem executorem officii, qui similiter sit in superpelliceo cum capa de serico. Rectores vero chori in eundo et redeundo antiphonas incipiant.

27.5. Peracta processione sicut in ordinali describitur et finita memoria de sancta maria dicitur *Benedicamus* a duobus pueris.

27.6. Ad completorium antiphona super psalmos incipiatur a quodam de superiore gradu: et cetera sicut ad horas.

---

<sup>12</sup> Frere reads 'dupplicibus versiculam', marking corruption.

<sup>13</sup> Frere reads 'ex'.



## 28. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FERIA SECUNDA EBDOMADE PASCHE.

28.1. Feria secunda ebdomade pasche antiphona super psalmos ad matutinas in superiore gradu incipiatur pro voluntate cantoris. Lecciones et responsoria in superiore gradu legantur et cantentur in superpelliceis. Ita scilicet quod in hac feria et in duabus sequentibus duo canonici de superiore gradu primam et secundam leccionem legant: terciam aliqua excellens persona; ita ut in ipsa quarta leccione legenda fiat descensus personarum iuxta numerum feriarum. Similis quoque ordo servetur in responsoriis cantandis per easdem ferias. Cetera omnia ut in die pasche, nisi quod ad laudes una sola antiphona dicitur que in superiore gradu incipiatur.

28.2. Post *Benedicamus* eat processio ad crucem per ostium chori occidentale cum cruce et ceroferariis et thuribulario et puero librum deferente ante sacerdotem: qui omnes erunt in eodem habitu quo vespere, ~~pre~~preter illum qui defert crucem, qui sit in superpelliceo.

28.3. In statione duo de superiore gradu dicant versum ad chorum conversi in superpelliceis ante introitum chori.

Finita processione in chorum redeant.

Cetera omnia ut supra ad vespere fiant.

28.4. Ad primam et ad ceteras horas omnia fiant sicut in die pasche.

Ad vespere et ad completorium omnia fiant sicut in die pasche.

## 29. DE TERCIA ET QUARTA FERIA EBDOMADE PASCHE.

Modus et ordo servicii tercię et quarte ferie ebdomade pasche similis est per omnia servicii ferie secunde.

## 30. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN OCTAVIS PASCHE.

30.1. Octava vero die pasche ad primas vespere antiphona super psalmos in superiore gradu incipiatur pro voluntate cantoris: antiphonam super *Magnificat* unus de excellencioribus ex parte chori incipiat: cetera fiant sicut in die pasche ad vespere preter gradale et *Alleluja* et processionem.

30.2. Ad vespere ad processionem omnia fiant sicut in ordinali describitur.

30.3. Ad completorium omnia fiant sicut in aliis duplicibus festis novem leccionum.

30.4. Ad matutinas antiphone super psalmos in superiore gradu incipiantur: lecciones et responsoria in superpelliceis in superiore gradu discurrant pro voluntate cantoris.

In laudibus antiphone eodem modo in superiore gradu discurrant. Cetera omnia ut

supra in secunda feria ebdomade pasche preter processionem.

30.5. Ad primam et ad alias horas idem modus servetur qui in dupplicibus festis novem leccionum.

30.6. Ad secundas vespervas antiphona super psalmos et antiphona super *Magnificat* in superiore gradu incipiantur pro voluntate rectoris: cetera omnia ad vespervas et ad completorium ut supra in festis dupplicibus novem leccionum.

### 31. ADAPTATIO EIUSDEM SERVICII IN ALIIS FESTIS DUPPLICIBUS IN PASCHALI TEMPORE.

Modus et ordo servicii huius diei servetur in annunciacione dominica, quando post pascha celebratur et in invencionem sancte crucis et in festis sancti ambrosii et sancti marci evangeliste et apostolorum philippi et iacobi et sancti augustini anglorum apostoli, excepto quod in ipsis festis ad utrasque vespervas dicitur responsorium sicut in festis dupplicibus novem leccionum.

Preterea in festo sancti ambrosii et in festo sancti marci evangeliste et apostolorum philippi et iacobi nulla fiat processio ad vespervas nisi in aliqua dominica ante ascensionem domini contigerit nec etiam in festo annunciacionis dominice quando post pascha dicitur. Preterea omnes antiphone super laudes in secunda forma incipiantur: antiphona vero super *Benedictus* incipiatur in superiore gradu.

### 32. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN ASCENSIONE DOMINI.

32.1. In vigilia ascensionis domini ad vespervas antiphona super psalmos inchoetur ab aliquo de superiore gradu ab excellencioribus personis ex parte chori.

Responsorium tres cantent de excellencioribus personis in capis sericis ad gradum chori: antiphona super *Magnificat* ab executore officii illius diei inchoetur, si fuerit ex parte chori: sin autem ab excellenciore ex parte chori incipiatur: cetera omnia ad vespervas et ad completorium ut in ceteris festis dupplicibus maioribus novem leccionum.

32.2. Ad matutinas in antiphonis incipiendis et in leccionibus legendis et responsoriis cantandis et de thurificatione idem ordo et modus servetur ut in die pasche.

Ad laudes et ad primam et ad omnes alias horas omnia fiant ut in octava pasche: excepto quod hic ad secundas vespervas cantatur responsorium a tribus de excellencioribus.

### 33. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN DIE PENTECOSTEN.

Modus et ordo servicii diei pentecosten idem est per omnia qui in die ascensionis domini.

#### 34. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN SECUNDA ET TERCIA ET QUARTA FERIA EBDOMADE PENTECOSTES<sup>14</sup>.

Servicium vero trium feriarum pentecostes sequitur modum et ordinem earundem feriarum ebdomade pasche scilicet in antiphonis incipiendis in leccionibus legendis et in responsoriis cantandis.

Cetera omnia fiant ut in aliis festis duplicibus novem leccionum preter responsorium ad vespas.

#### 35. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN QUINTA ET SEXTA FERIA ET SABBATO EBDOMADE PASCHE ET PENTECOSTES.

35.1. Feria quinta sexta et sabbato ebdomade pasche et pentecostes ad matutinas antiphone super psalmos in superiore gradu incipiantur et omnes lecciones a clericis de superiore gradu in superpelliceis legantur. Omnia responsoria ad matutinas a duobus dicuntur in superpelliceis: ita quod primum et secundum responsorium a clericis de secunda forma dicantur: gradale autem a duobus de superiore gradu.

35.2. In laudibus antiphona in secunda forma incipiat: omnes versiculi ad matutinas a duobus pueris in superpelliceis dicuntur: *Benedicamus* vero a duobus de secunda forma, et secundum *Benedicamus* a duobus pueris.

Ad primam et ad alias horas omnia fiant ut in festis in quibus invitatorium a tribus cantatur, sicut inferius patebit.

Ad vespas antiphona super psalmos in superiore gradu incipiat. Cetera ut supra in laudibus.

#### 36. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS ET OCTAVIS NOVEM LECCIONUM QUANDO INVITATORIUM A TRIBUS CANTATUR.

36.1. In festis et in octavis novem leccionum quando invitatorium a tribus cantatur, ut in festo sancti nicholai, in octava epiphanie, in conversione sancti pauli, cathedra sancti petri, iohannis ante portam latinam, octavis ascensionis, translacio sancti edmundi archiepiscopi, barnabe apostoli, octavis de corpore christi, commemoracione sancti pauli, octavis apostolorum petri et pauli, marie magdalene, ad vincula sancti petri, sancti laurencii martyris, octavis assumptionis beate marie, decollacione sancti iohannis baptiste, octavis nativitatis beate marie, sancti michaelis in monte tumba, sancti martini episcopi, sancti edmundi archiepiscopi et in octavis dedicacionis ecclesie.

36.2. Ad primas vespas antiphona super psalmos incipiat in primo superiore gradu. In incepacione quinti psalmi tres pueri accepta licencia a rectoribus chori egrediantur in vestiario ut se induant albis amictibus, duo ad cereos deferendos et

---

<sup>14</sup> Frere, following Corpus Christi MS 44, reads 'Pasche': other sources read 'Pentecostes'

tercium ad turribulum portandum. Quod per totum annum observetur quando chorus regitur. Ita quod in festis duplicibus exeant duo pueri ad turribulum portandum, ut supradictum est. Post inchoacionem quarti psalmi exeant duo clerici qui assignati sunt ad responsorium in vestiario ad capas de serico assumendas. Responsorium a duobus de superiore gradu in capis sericis ad gradum chori dicitur. In penultimo versu hymni exeat sacerdos ad capam sericam sumendam in vestiario. Omnes versiculi ad utrasque vespervas et ad matutinas a duobus pueris in superpelliceis ad gradum chori pariter stantes dicuntur.

### 37. DE MODO THURIFICANDI ALTARE IN OMNIBUS SIMPLICIBUS FESTIS ET IN DOMINICIS ET IN OCTAVIS ET INFRA, IN QUIBUS CHORUS REGITUR ET IN COMMEMORACIONIBUS BEATE MARIE PER TOTUM ANNUM.

Dum versiculus canitur, introeant ceroferarii, et acceptis candelabris veniant obviam sacerdoti ad gradum presbiterii: procedat puer cum turribulo ad sacerdotem dicendo Benedicite: respondeat sacerdos benedicat thus sic benedicendo, Ab ipso sanctificetur hoc incensum in cuius honore incensum cremabitur, in nomine patris et filii et spiritus sancti Amen.

Et sic inponat thus in turribulum et procedat ad altare, et, facta genuflexione ante altare terram deosculando, incenset ipsum altare primo ter in medio deinde ter in dextera parte postea ter in sinistra parte: deinde iterum in medio; exinde ter ad imaginem beate marie hoc est in medio altaris, postea arcam in qua continentur reliquie, deinde thurificando altare circueat altare.

Hoc peracto sacerdos ad extremum gradum ante altare ad altare se inclinet, et, precedentibus ceroferariis et turribulario solus ille episcopus si presens fuerit scilicet in sede sua thurificet et sic in stallo huic officio deputato in sinistra parte chori se recipiat.

### 38. DE CHORI THURIFICACIONE.

38.1. Deinde ipse puer ipsum sacerdotem ibidem thurificet. Postea thurificet rectores chori, incipiens a principali: deinde superiorem gradum ex parte decani, incipiens a decano, ipsum scilicet thurificando extra formulas vel infra formulas, inchoando ab eo qui eius stallo stat proximior si decanus non fuerit presens: postea superiorem gradum ex parte cantoris eodem ordine: exinde secundas formas et primas simili ordine ita ut puer ipse singulos clericos incensando illis inclinet. Si vero episcopus fuerit officii executor ipsum in sede sua capellanus proprius incensabit. Hec autem omnia fiant dum antiphona super *Magnificat* incipitur et psalmus psallitur. Sciendum est etiam quod ceroferarii sacerdoti, dum in locum suum se recipiat, continue non assistunt sed tantum unus ceroferariorum in sinistra parte chori ante sacerdotem stat supra gradum chori, reliquus in dextera parte chori supra gradum chori eundem altero ad alterum converso donec sacerdos ibidem a puero incensetur; et tunc ad gradum supremum altaris revertentes ubi candelabra cum cereis dimittere solent, ibi expectent quousque *Magnificat* dicitur. Dum ergo antiphona super *Magnificat* canitur, sacerdos ad gradum chori accedat et puer ebdomadarius leccionis deferat ei librum cum lumine semper in superpelliceo: reversis tunc ceroferariis et sacerdoti assistentibus altero ad alterum

converso ipse sacerdos ibidem dicat oracionem.

Hoc autem per totum annum observetur ad utrasque vespervas et ad matutinas ad *Magnificat* et ad *Benedictus* per totum annum quodocunque chorus regitur, nisi in festis duplicibus tantum: tunc enim thurificetur altare a duobus sacerdotibus et chorus a duobus pueris, ut supradictum est.

38.2. Antiphona super *Magnificat* in superiore gradu inchoetur. Primum *Benedicamus* a duobus clericis de secunda forma post sacerdotem in superpelliceis pariter stantibus dicitur. Secundum vero *Benedicamus* si habeatur, semper ab uno solo puero ex alia parte chori quam principali dicitur, loco nec habitu mutato.

Ad completorium utrumque antiphona super psalmos in secunda forma incipiatur: versiculus ab uno solo puero ex parte chori principali dicitur, loco nec habitu mutato.

Antiphona super *Nunc dimittis* in superiore gradu incipiatur.

38.3. Ad matutinas rectores ebdomadarii non mutantur, sed tercius clericus de superiore gradu in capa serica pro voluntate cantoris eis associatur ad invitorium cantandum cum suo psalmo *Venite*.

Prima et secunda antiphone a pueris incipiantur: tertia a subdiacono de secunda forma; quarta a diacono de eadem forma.

Quinta et sic deinceps in superiore gradu pro voluntate rectorum<sup>15</sup> incipiatur ascendendo gradatim.

Prima et secunda lecciones a duobus pueris legantur: primum et secundum responsorium similiter a singulis pueris cantentur, loco nec habitu mutato. Tercia leccio a subdiacono de secunda forma legatur: et tertium responsorium a duobus de secunda forma in superpelliceis ad gradum chori cantetur: quarta leccio et quartum responsorium a duobus diaconis de secunda forma dicantur: quinta leccio et quintum responsorium, et sic deinceps, a clericis de superiore gradu, habitu non mutato, legantur et cantentur; ita tamen quod sextum et nonum responsorium a duobus dicuntur in superpelliceis ad gradum chori: et omnes lecciones in pulpito legantur, habitu non mutato.

38.4. In laudibus omnes antiphone in secunda forma discurrant: cetera omnia sicut ad primas vespervas expleantur. Preterea ad utrasque vespervas et ad matutinas ad *Magnificat* et ad *Benedictus* thurificetur altare ab uno solo sacerdote videlicet ab executore officii in capa serica: chorus vero ab uno solo puero.

Ad primam, antiphona super psalmos in secunda forma incipiatur: antiphona super *Quicumque vult* in superiore gradu incipiatur: responsorium *Jesu christe* ab uno solo puero dicitur ex parte chori, loco nec habitu mutato. Ad terciam principalis rector ebdomadarius ymnum incipiat vel incipi faciat ab aliquo in superiore gradu, loco nec habitu mutato: Antiphona super psalmos incipiatur a secundo clerico de secunda forma ex parte chori, et ita ceterae antiphone ad ceteras horas per ordinem discurrant:

---

<sup>15</sup> Frere reads 'cantorum': a scribal error. The Old Customary reads 'rectoris'.

psalmum intonet vel intonari faciat predictus rector chori ab aliquo de superiore gradu.

Nulla enim ympni incepzio vel psalmi intonacio fieri debeat ulla die per annum nisi in superiore gradu, quando chorus non regitur.

Notandum est autem quod in nullo festo per annum, licet duplex festum fuerit, regatur chorus ad primam nec ad alias horas neque ad completorium, nisi tantum ad utrasque vespas et ad matutinas et ad missam, ut supra dictum est.

Responsorium in secunda forma a clerico proximo illi qui incipit antiphonam dicitur. Capitulum et collectam dicat sacerdos, loco nec habitu mutato.

Similis modus et ordo observetur in ceteris horis dicendis.

Ad secundas<sup>16</sup> vespas antiphona super psalmos in secunda forma incipiatur: cetera omnia sicut ad primas vespas preter responsum.

Et notandum quod ad horas que sine intervallo missam secuntur nulli licet intrare chorum nisi qui misse interfuerint, preterquam ad vespas in quadragesima quando de feria agitur: tunc intrare possunt hii qui hore none vel alie hore diei interfuerint.

In feriis eciam intrare possunt ad completorium et in festis novem leccionum quamvis omnino nulle hore diei prius interfuerint, et similiter in festis sanctorum novem leccionum qui his ante prandium non interfuerint: et tunc similiter ad vigiliis mortuorum et ad collacionem quolibet tempore.

### 39. ADAPTATIO EIUSDEM SERVICII IN ALIIS FESTIS ET OCTAVIS TRIUM LECCIONUM QUANDO INVITATORIUM EST TRIPLEX SCILICET IN PASCHALI TEMPORE.

39.1. Iste modus et ordo servicii servetur in hiis festis et in octavis scilicet

39.2. Sancti iohannis ante portam latinam, et in octavis ascensionis domini et in translacione sancti edmundi archiepiscopi et sancti barnabe apostoli quando ante pentecosten contigerit; tunc enim antiphona super psalmos ante lecciones in superiore gradu incipiatur.

Prima leccio et primum responsum dicuntur a duobus diaconis de secunda forma, habitu non mutato.

Secunda et tertia leccio, secundum et tertium responsum a clericis de superiore gradu dicuntur pro voluntate tabulam componentis. Ita quod tertium responsum a duobus cantetur, ad gradum chori in superpelliceo; et legantur omnes lecciones in pulpito, habitu non mutato.

*Alleluya* a duobus de superiore gradu dicitur.

---

<sup>16</sup> Frere reads 'utrasque' (both), marking it as corrupt.

In aliis vero festis simplicibus cum regimine chori a pasche usque ad pentecosten, prima et secunda lectiones, primum et secundum responsoria a clericis de secunda forma dicuntur: tertia leccio et tertium responsorium a clericis de superiore gradu: si infra octavas ascensionis, responsorium dupliciter: si extra simpliciter. *Alleluya* a duobus de superiore gradu.

39.3. Cetera omnia ad utrasque vespas et ad matutinas et ad omnes alias horas sicut in festis novem lectionum invitatorium triplex habencium expleantur.

#### 40. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS SIMPLICIBUS NOVEM LECTIONUM ET IN DIEBUS DOMINICIS.

1. Omnibus diebus dominicis et in festis simplicibus cum regimine chori per totum annum ad primas vespas, antiphone vel antiphona super psalmos a primo clerico de secunda forma incipiatur.

Si fuerint plures antiphone, tunc secunda a suo pari ex opposito incipiatur: sequentes antiphone hinc inde in eodem gradu discurrant.

Chorum intrare possunt clerici ad secundas vespas usque ad tertium vel ad quintum versum primi psalmi, et ad completorium similiter, hii qui scilicet vespas interfuerint precedentibus: alias autem ad completorium vel ad vigiliis mortuorum intrare nullo modo possunt nisi in quadragesima ut supradictum est.

Decano vero chorum vel capitulum intranti vel transitum ibi facienti clerici omnes tenentur assurgere: nullusque clericorum vel aliorum canonicorum ecclesie preter eius licenciam sibi minuat vel a civitate redeat per unam noctem ex sciencia moram facturis foris.

40.2. Responsoria a duobus clericis de secunda forma in capis sericis ad gradum chori cantentur.

Omnes versiculi ad utrasque vespas et ad matutinas a singulis pueris dicuntur, loco nec habitu mutato, ex parte chori principalis, ita quod versiculus in secundo nocturno dicitur ex alia parte chori similiter a puero.

40.3. In penultimo versu ymni exeat sacerdos in vestibulum ad capam sericam sumendam.

40.4. Antiphona super *Magnificat* in superiore gradu inchoatur: et hoc generaliter sit per totum annum, quod qualibet antiphona super *Magnificat* et *Nunc dimittis* et *Benedictus* in superiore gradu semperincipiantur.

Primum *Benedicamus* ab uno solo puero ex parte chori dicitur, loco nec habitu mutato, sed ad altare converso: secundum vero *Benedicamus*, si habeatur, dicitur ex alia parte chori supradicto modo, scilicet a puero in choro et non a ceroferario. Et si forte non assistunt pueri in choro, tunc dicuntur singuli versiculi et *Benedicamus* a singulis clericis de secunda forma supradicto modo.

Hiis itaque peractis redeat sacerdos ad vestibulum ad capam sericam exuendam, ceroferariis precedentibus, rectoribus vero chori subsequenter.

Deinde statim post *Deo gracias* incipiantur de sancta maria, quando in choro dicuntur, a quodam sacerdote ex parte chori ebdomadarii.

Hic ordo scilicet a secundo *Benedicamus* usque hic, servetur tam ad vespervas quam ad matutinas quodocumque chorus regitur per totum annum, nisi in festis duplicibus tantum.

40.5. Ad utrumque completorium antiphonam super psalmos incipiat primus clericus de secunda forma: psalmum intonet alius de superiore gradu.

Versiculus, scilicet *Custodi nos*, ab uno solo puero dicitur ex parte chori, loco nec habitu mutato.

Antiphona vero super psalmum *Nunc dimittis* in superiore gradu inchoetur.

Episcopus si assit uel excellencior persona sacerdos dicat *Confiteor* et *Misereatur* et *Absolucionem* tam ad primam quam ad completorium per totum annum quando *Confiteor* dicitur.

40.6. Ad matutinas primam antiphonam super psalmos incipiat primus de prima forma: secunda a suo pari ex opposito incipiat de eadem forma: tertia vero a tercio sibi opposito in eodem gradu: quarta a subdiacono vel ab aliquo alio inferiore in secunda forma: quinta a diacono in secunda forma: sexta in superiore gradu a quovis pro voluntate ipsius cantoris: septima octava nona in eodem per ordinem discurrant ascendendo gradatim.

40.7. Post inchoacionem tercię antiphone quidam puer librum cum lumine ad pulpitem in habitu ad legendum deferat, scilicet semper in capa nigra nisi in festis duplicibus; tunc in superpelliceo ferat; qui et ipse primam leccionem legat, habitu non mutato: secunda et tertia similiter a duobus pueris hinc inde legantur: quarta a subdiacono de secunda forma uel ab aliquo inferiore de eodem gradu: quinta a diacono de secunda forma: sexta a quovis in superiore gradu.

Septima a diacono superioris gradus: octava et nona a diacono vel presbitero in superiore gradu.

40.8. Omnia responsoria a singulis clericis iuxta ordinem lectorum cantentur, loco nec habitu mutato: ita quod ex eadem parte chori in eodem gradu singule lecciones cum suis responsoriis cantentur: et omnes lecciones in pulpito legantur habitu non mutato.

40.9. Ad laudes prima antiphona incipiat ab aliquo de secunda forma ex parte chori iuxta voluntatem ipsius chorum regentis: secunda antiphona a suo pari ex opposito in eadem forma dicitur: ceterę vero antiphone per ordinem eodem modo in eadem forma dicuntur.

Antiphona vero super *Benedictus* in superiore gradu incipiat.



40.10. Ad primam antiphona super psalmos a primo clerico in secunda forma incipiatur: et antiphona super psalmum *Quicumque* vult in superiore gradu incipiatur, sicut fit in omni festo per annum quando chorus regitur.

Responsorium *Jesu christe* ab uno solo puero dicitur, loco nec habitu mutato, ex parte chori: quod per totum annum observetur quando responsum *Jesu christe* dicitur, nisi in festis duplicibus tantum: tunc enim dicitur ab uno solo clerico de secunda forma, loco nec habitu mutato, ut supradictum est.

40.11. Ad terciam et ad omnes alias horas omnia fiant sicut in festis quando invitatorium a tribus cantatur.

40.12. Ad secundas vespervas omnia fiant sicut ad primas vespervas preter responsum.

Preterea omnibus dominicis per adventum et per totam quadragesimam dicitur responsum ad secundas vespervas ab uno solo clerico de secunda forma, loco nec habitu mutato, ex parte chori.

In dominica tamen in ramis palmarum tantum dicitur responsum ad secundas vespervas ab uno solo clerico de superiore gradu ex parte chori, loco nec habitu mutato.

40.13. Item per totam quadragesimam ad completorium dicitur responsum in sabbatis et in dominicis diebus et in festis novem leccionum ab uno solo clerico de secunda forma, loco nec habitu mutato, ex parte chori. Preterea notandum quod per quatuor extremas ebdomadas quadragesime dicuntur tres versus post antiphonam super *Nunc dimittis*, scilicet in dominicis et in festis novem leccionum ad utrumque completorium, in sabbatis et ad primum completorium in festis sanctorum in superiore gradu dicuntur; in dominicis vero diebus et ad secundum completorium et in festis sanctorum in secunda forma dicuntur: in dominica tamen palmarum et in festis duplicibus predicto tempore contingentibus ad utrumque completorium in superiore gradu dicuntur: ita tamen quod primus semper versus et tercius dicitur a singulis clericis ex parte chori; loco nec habitu mutato dicuntur; secundus vero versus ex alia parte chori dicitur, loco nec habitu mutato dicuntur.

40.14. Preterea in dominica passionis domini et in ramis palmarum una sola antiphona dicitur super psalmos; et in singulis nocturnis, quarum prima in prima forma, secunda in secunda forma, tertia in superiore gradu incipiatur.

#### 41. DE DOMINICIS PASCHALIS TEMPORIS.

41.1. Preterea in dominicis paschalis temporis ad utrasque vespervas non dicitur nisi una sola antiphona super psalmos, et illa in secunda forma incipitur.

Similiter ad matutinas una sola antiphona super psalmos ante lecciones et illa incipitur in superiore gradu.

Prima leccio et primum responsum a duobus diaconibus de secunda forma

dicuntur, habitu non mutato: secunda et tertia lecciones, secundum et tertium responsorium a clericis de superiore gradu dicuntur, ita tamen quod tertium responsorium a duobus cantetur in superpelliceis ad gradum chori.

In laudibus una sola antiphona super psalmos et illa in secunda forma incipitur.

Proxima vero dominica ante ascensionem domini quinque antiphone super laudes in secunda forma discurrant. Cetera omnia ad utrasque vespervas et ad laudes et ad alias horas et ad completorium sicut in aliis dominicis novem leccionum expleantur.

#### 42. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM INFRA OCTAVAS CUM REGIMINE CHORI ET IN SINGULIS COMMÉMORACIONIBUS BEATE MARIE EXTRA TEMPUS PASCHE.

Modus et ordo servicii infra octavas cum regimine chori, ad omnes horas diei, omnia fiant sicut in festis simplicibus novem leccionum sui temporis preter responsorium ad vespervas.

Ad matutinas prima antiphona a primo clerico de prima forma incipiatur: secunda antiphona a suo pari ex opposito in eadem forma: tertia antiphona a secundo clerico de prima forma incipiatur. Quarta antiphona a primo clerico secunde forme incipiatur. Ceterae autem antiphone in eadem forma discurrant hinc inde.

In feriis vero infra octavas ascensionis domini prima antiphona super psalmos ante lecciones in prima forma inchoetur; secunda et tertia in secunda forma: ad primam leccionem et ad primum responsorium scribantur duo pueri ebdomadarii: ad secundam leccionem et ad secundum responsorium duo clerici de secunda forma: et ad terciam leccionem et ad tertium responsorium duo clerici de superiore gradu.

Eodem modo fiat servcium in singulis commemoracionibus beate marie extra tempus paschale.

#### 43. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FESTIS SIMPLICIBUS CUM REGIMINE CHORI IN TEMPORE PASCHALI ET IN SINGULIS COMMÉMORACIONIBUS BEATE MARIE EIUSDEM TEMPORIS.

In festis simplicibus cum regimine chori invitatorium triplex non habentibus a pascha usque ad pentecosten, ad utrasque vespervas et ad matutinas et ad omnes alias horas diei omnia fiant sicut in ceteris festis simplicibus novem leccionum alterius temporis.

Ad matutinas antiphone super psalmos ante lecciones in superiore gradu incipientur.

Prima et secunda lecciones primum et secundum responsoria a clericis de secunda forma legantur et cantentur. Tercia leccio et tertium responsorium a clericis de superiore gradu dicuntur.

Et si infra octavas ascensionis domini contigerit, tertium responsorium a duobus de superiore gradu cantetur in superpelliceis ad gradum chori: et omnes lecciones semper legantur in pulpito, habitu non mutato.

Ad laudes omnes antiphone in secunda forma discurrant. Cetera ut supradictum est expleantur.

Eodem modo fiat servicium in singulis commemoracionibus beate marie ab octavis pasche usque ad pentecosten.

#### 44. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN FERIALIBUS DIEBUS ET IN FESTIS TRIUM LECCIONUM SINE REGIMINE CHORI.

44.1. Ad matutinas in ferialibus diebus et in festis trium leccionum que non habent invitatorium duplex invitatorium a cantore quesitum dicat aliquis de secunda forma vice rectoris ebdomadarii, loco nec habitu mutato, cum psalmo *Venite*. Ymnus in superiori gradu incipiatur ad dispositionem rectoris: cetera omnia autem que ad generale officium rectoris pertinent idem rector vel per se vel per alium exequatur.

Prima et secunda et tertia antiphona a primo clerico de secunda forma ex parte chori incipiatur: cetera in eadem forma hinc inde discurrant.

Prima antiphona a primo puero prime forme incipiatur, secunda antiphona a puero sibi opposito prime forme: et ita cetera antiphone per ordinem discurrant: ita quod quinta antiphona incipiatur a primo clerico secunde forme ex parte chori: sexta antiphona a suo pari ex opposito: et si novem antiphone sunt, septima octava et nona in eadem forma discurrant.

Versiculus ab uno solo puero ex parte chori dicitur loco nec habitu mutato.

44.2. Primam leccionem legat puer ebdomadarius: hic idem tenetur subministrare sacerdoti in libro deferendo ad matutinas et ad vespervas et ad capitulum et ad collectas dicendas per totam ebdomadam.

Notandum quod pueri tenentur in omni dupplici festo et in omnibus dominicis et in festis novem leccionum, que habent invitatorium triplex, interesse vespervis completorio matutinis prime hore diei et misse, vigiliis quoque mortuorum quociens fuerit pro corpore presenti et in trigintalibus et in anniversariis: alias non tenentur interesse huiusmodi horis nisi ministrantes legentes pariter et cantantes: excepto quod in adventu et a septuagesima usque ad quadragesimam quando de feria agitur, puer ebdomadarius responsorii tenetur interesse prime et tertie et sexte hore ad antiphonas incipiendas et responsoria cantanda.

In quadragesima tenetur idem interesse omnibus horis diei quando de feria agitur ad idem faciendum.

In aliis temporibus anni, sive de feria agitur sive de festo, trium leccionum sine regimine chori antiphone et responsoria super terciam et sextam et nonam in secunda forma a puero eiusdem forme inchoando discurrant.

Secundam leccionem legat aliquis in prima parte secunde forme ex alia parte chori: terciam leccionem legat aliquis de superiore gradu: et legantur omnes lecciones in pulpito, habitu non mutato.

44.3. Primum responsorium cantet alius puer ebdomadarius: dicuntur autem pueri ebdomadarii ad legendum et cantandum per ebdomadam illi qui ad primam leccionem et ad primum responsorium scribantur in tabula dominicali.

Et sciendum est quod pueri ebdomadarii semper debent esse ex parte chori principali: eorum vero qui ad candelabra scripti sunt, unus ex una parte chori et alius ex alia parte. Reliqui vero in dispositione tabulam componentis.

Secundum responsorium cantet eis proximus; secundam leccionem legat scilicet in secunda forma: similiter tercium responsorium in superiore gradu. Et hoc observetur qualibet feria per annum et in quolibet festo trium leccionum sine regimine chori, nisi in propriis vigiliis et in quatuor temporibus et in rogacionibus quando ad matutinas legitur expositio evangelii: tunc enim prima et secunda lecciones a clericis secunde forme legantur, et primum et secundum responsoria a clericis de eadem forma cantentur.

44.4. In laudibus prima et secunda et tertia antiphone a predictis duobus pueris incipiantur. Cetera in secunda forma discurrant ordine clericorum continuato prius incepto: cetera omnia que ad matutinas pertinent ut in dominicis expleantur; excepto quod in feriis omnes ympni in superiore gradu incipiantur, quod eciam observetur in omni festo trium leccionum sine regimine chori et in octavis et infra quando chorus non regitur: preterea sacerdos in collectis dicendis habitum non mutat: ad vespas et ad matutinas tamen ad gradum chori dicat ipse sacerdos oraciones absque ceroferariis: preterea non thurificatur altare nec chorus in feriis neque in festis trium leccionum sine regimine chori ad matutinas neque ad vespas neque ad *Benedictus* neque ad *Magnificat*.

44.5. Ad primam, antiphona super psalmos a primo clerico prime forme incipiat ex parte chori: antiphonam super *Quicumque vult* primus clericus de secunda forma incipiat: responsorium *Jesu christe* ab aliquo prime forme dicitur: cetera autem omnia sicut in dominicis nisi quod in feriis fiant preces ad omnes horas cum prostrationibus.

Ad terciam, antiphona a primo clerico secunde forme ex parte chori incipiat: responsorium a suo proximo cantetur.

Ad sextam, et ad nonam omnia fiant sicut ad terciam a singulis clericis per ordinem de secunda forma.

44.6. Ad vespas, primam antiphonam super psalmos incipiat primus clericus prime forme: secundam antiphonam sibi oppositus de eadem forma: cetera antiphone in secunda forma a primis incipiendo per ordinem discurrant.

Preterea ab inceptio antiphone *O sapientia* usque ad vigiliam natalis domini in ferialibus diebus quando de feria agitur quatuor antiphone super psalmos hinc inde inter pueros discurrant: quinta antiphona a primo clerico in secunda forma incipiat.

Responsorium, si habeatur, cantet puer ebdomadarius, loco nec habitu mutato: cetera omnia fiant ut superius ad matutinas.

Ad completorium, antiphonam super psalmos incipiat quidam puer de prima forma pro voluntate rectoris ebdomadarii: cetera omnia ut in dominicis, nisi quod in feriis fiunt preces cum prostrationibus.

44.7. Preterea in omnibus feriis per totam quadragesimam dicitur responsorium ad completorium ab uno solo puero, loco nec habitu mutato sed ad altare converso.

Preterea in ferialibus diebus per adventum et a septuagesima usque ad quadragesimam ad terciam et ad sextam, puer ebdomadarius antiphonam super psalmos incipiat, et responsorium cantet.

In quadragesima vero ad terciam et ad sextam et ad nonam puer ebdomadarius antiphonam super psalmos incipiat et responsorium cantet.

44.8. Preterea in tempore paschali ad matutinas et ad laudes et ad vespervas non dicitur nisi una sola antiphona super psalmos, et illa incipitur in prima forma: neque fiunt tunc preces cum prostrationibus.

#### 45. HEC SUNT FESTA ET OCTAVE IN QUIBUS INVITATORIUM DUPLEX HABETUR

Preterea in octavas et infra octavas sine regimine chori et in quibusdam festis trium leccionum sine regimine chori cum dicitur invitatorium a duobus clericis de secunda forma ad gradum chori, habitu non mutato: in hiis videlicet:

Mense Januarii.

Sancti iuliani episcopi,

Agnetae secunde.

Februarii:

Blasii episcopi,

Juliane virginis.

Sciendum est quod si hec predicta festa infra septuagesimam evenerint, habent invitatorium simplex: preterea omnia festa trium leccionum sine regimine chori ab octavis pasche usque ad pentecosten habent invitatorium duplex: similiter omnia talia festa que contingunt infra ebdomadam sancte trinitatis et corporis christi nisi festum sancte etheldrede virginis et sancti leonis pape quando cum nocturno dicuntur propter vigiliam.

Mense junii:

Marcellini et petri,

Bonefacii sociorumque eius,

Cyrini et naboris et nazarei,

Viti et modesti,

Marci et marcelliani,

Gervasii et protasii,

Translacio sancti Edwardi regis et martyris,

Johannis et Pauli,  
 Mense Julii:  
 octavarum sancti iohannis baptiste,  
 Sanctorum Processi et martiniani,  
 Sanctorum Septem fratrum,  
 translacionis sancti benedicti,  
 Sancti Kenelmi regis,  
 Sanctorum Septem dormiencium,  
 Sancti Sampsonis episcopi,  
 Sanctorum Felicis simplicii faustini et beatricis,  
 Sanctorum abdon et sennes,  
 Mense Augusti:  
 Sancti stephani pape et martyris,  
 Oswaldi regis et martyris,  
 Sanctorum Sixti felicissimi et agapiti,  
 Sancti Ciriaci sociorumque eius,  
 Sancti Tiburcii martyris,  
 Sancti Ypoliti sociorumque eius,  
 Sancti] Ruffi martyris,  
 Sanctorum Felicis et adaucti martyrum,  
 Cuthburge virginis.  
 Mense Septembris:  
 Translacio Sancti Cuthberti,  
 Sanctorum Cipriani et Justine martyrum,  
 Sanctorum cosme et damiani,  
 Mense octobris:<sup>17</sup>  
 Marci marcelli et apulei martyrum,  
 Sanctorum Nicasii sociorumque eius,  
 Sancti Kalixti pape,  
 Sanctarum Undecim millia virginum,  
 Sanctorum Crispini et crispiniani martyrum.  
 Mense Novembris:  
 Sanctorum Quatuor coronatorum,  
 Sancti Bricii episcopi,  
 Octavarum sancti martini.  
 Mense Decembris: Octavarum sancti andree.

Sciendum est eciam quod per totum annum dicitur invitatorium a duobus infra octavas et in octavis que sunt sine regimine chori quando de octava fit servicium.

#### 46. DE HABITU CLERICORUM IN CHORO SARUM PER TOTUM ANNUM.

46.1. Omnes clerici indifferenter nigris utuntur capis super superpellicias per totum annum in choro et in capitulo, nisi in illis dupplicibus festis que ex propria sua solempnitate processionem habent adiunctam, ut in die nativitatis domini, Epyphanie, Purificacionis beate Marie: Dies pasche, Dies ascencionis domini: Die pentecostes, festum sancte trinitatis, festum de corpore Christi, festum Reliquiarum: assumpcionis

<sup>17</sup> Frere's text includes an additional [Oct], marked by him as corrupt text.

beate Marie et nativitatis beate Marie: festum omnium sanctorum et dedicacionis ecclesie et festum loci: Et in aliis eciam festis dupplicibus que in dominicis fiunt diebus: tunc enim omnes clerici utuntur capis sericis ad processionem et ad missam usque ad *Agnus dei* tantum et donec pax per totum chorum data fuerit.

46.2. Item in vigilia pasche quando *Gloria in excelsis* inchoatur facta itaque genuflexione clerici deponant capas nigras, et in superpelliceis appareant nisi ad matutinas. Et exinde per totam septimanam et eciam in octava die superpelliceis de die utantur. Similis quoque modus observetur in vigilia pentecostes et per totam septimanam. Et in omni quoque dupplici festo a festo pasche usque ad festum sancti Michaelis semper in superpelliceis appareant in choro et in capitulo ad omnes horas diei. Similiter fiat secundum usum modernum Sarum cotidie per octavas et in octavis assumpcionis beate Marie et nativitatis beate Marie et dedicacionis ecclesie.

46.3. Ad matutinas vero per totum annum nigris utuntur capis.

Similiter fiat quodcumque fiat servicium pro mortuis dum corpus ad ecclesiam deportatur et ad *Placebo* et *Dirige* et ad missam pro eo, licet duplex festum fuerit: et eciam in omnibus processionibus causa necessitatis vel tribulacionis, et in rogacionibus, licet in festis dupplicibus fiunt. Similiter eciam fiat in festo sancti marci evangeliste ad processionem que solet fieri ipso die de ieiunio.

Rectores vero chori semper capis utantur sericis in choro quodcumque regendus est chorus: quorum officium annexum est ne pueri inordinate se gerant in choro et ne chorum exeant sine licencia providentis. Generaliter enim debet observari quod tam rectores chori quam quilibet alius sub capa serica utatur superpelliceo.

#### 47. DE DIVERSIS COLORIBUS INDUMENTORUM.

47.1. In paschali tempore utuntur rectores chori capis albis de quocunque fit servicium, nisi in invencionem sancte crucis: similiter in annunciacione dominica et in octava et infra octavas assumpcionis et nativitatis beate marie et in singulis commemoracionibus eiusdem per totum annum; et in utroque festo sancti Michaelis et in festo cuiuslibet virginis: et in octava et infra octavas dedicacionis ecclesie et in festo iohannis baptiste et in festo sancte Marie Magdalene.

47.2. Rubeis vero utuntur capis sericis in omnibus dominicis per annum extra tempus paschale, quando de dominica agitur, et in utroque festo sancte crucis, et in quolibet festo martyrum apostolorum et evangelistarum extra tempus paschale et in tractibus cantandis.

47.3. In festo autem sancti iohannis apostoli et in ebdomada natalis domini utuntur rectores chori capis albis.

In omnibus autem festis unius confessoris vel plurimorum confessorum utuntur capis sericis crocei coloris.

**48. DE INVITATORIIS INCIPIENDIS.**

In omni duplici festo per annum percantetur invitorium ab hiis qui dicturi sunt Venite, et postea repetatur a choro.

In festis vero quando invitorium a tribus dicitur et in omnibus aliis festis et dominicis et quandocunque invitorium a duobus dicitur ad gradum chori incipiatur et percantetur a choro.

In omnibus vero aliis festis et in feriis incipiatur invitorium ab illo qui dicturus est *Venite* et percantetur a choro.

**49. DE LECCIONIBUS LEGENDIS IN CAPIS SERICIS.**

Hec sunt festa maiora duplicia et in quibus tres ultime lecciones in capis sericis legantur in pulpito et processio fiat in quacunque die contigerint.

Primus dies natalis domini.

epiphanie.

Purificacionis beate marie.

Primus dies pasche.

Dies ascensionis domini.

Primus dies pentecostes.

Festum sancte trinitatis,  
et corporis christi.

Festum reliquiarum.

Festum assumptionis et nativitatis beate marie.

Dedicacionis ecclesie,

et festum loci.

In festo vero omnium sanctorum tres prime lecciones in capis sericis legantur.

**50. IN QUIBUS DOMINICIS ULTIMUM RESPONSORIUM A DUOBUS AD MATUTINAS CANTABITUR.**

Hec sunt dominice per annum in quibus ultimum responsorium ad matutinas a duobus cantabitur in superpelliceis ad gradum chori: scilicet in dominicis ab octava pasche usque ad ascensionem domini, quando de dominica agitur tantum. Et in dominica infra octavas ascensionis domini et dominica infra ebdomadam natalis domini et dominica infra octavas epiphanie, et Assumpcionis et nativitatis beate marie et dedicacionis ecclesie.

**51. IN QUIBUS FESTIS ULTIMUM RESPONSORIUM A DUOBUS CANTABITUR AD MATUTINAS.**

Hec sunt festa simplicia cum regimine chori in quibus ultimum responsorium ad matutinas a duobus dicitur in superpelliceis ad gradum chori: scilicet sancti silvestri



pape et in omnibus festis cum regimine chori que contingunt infra octavas ascensionis domini et infra octavas dedicacionis ecclesie.

## 52. ORDO AD COLLACIONEM FACIENDAM.

Pulsato bis ad collacionem, sed utraque vice tam in duplicibus festis quam in aliis cum una sola campana, dicuntur vigilie mortuorum, scilicet *Dirige* usque ad laudes: sed et post ultimum responsorium dicitur *Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson, Pater*; sine pronunciacione *Et ne nos* dicitur psalmus *Exaltabo*. Deinde preces cum collectis ut supra in adventu. Postea immediate legatur collacio, scilicet Liber pastoralis beati Gregorii pape, qui incipit sic, Pastoralis cure, vel dialogus eiusdem Gregorii de miraculis sanctorum Patrum, qui sic incipit, *Quadam die nimiis*. Que quidem collacio abhinc cotidie<sup>18</sup> ante completorium usque ad cenam domini, exceptis tantum dominicis diebus, in pulpito legetur, habitu non mutato, sic: *Jube domine benedicere*; excellencior qui in choro fuerit, dicta benediccione *Omnipotens dominus sua gracia nos benedicat*, ipse idem eciam qui dicit benediccionem, cum pro discrecione satis lectum fuerit dicat *Tu autem*. Lector vero prosequatur *Domine miserere nostri*. Ad quam eciam collacionem legendam ita scribantur clerici quod semper fiat inceptio ab excellenciore ex parte chori. Et legatur in superiore gradu usque ad passionem domini. Sabbato in passione domini et deinceps legatur in secunda forma, ita tamen quod in quarta feria ante pascha in prima forma legatur. Similiter fiat in aliis festis duplicibus predicto tempore contingentibus.

In festis tamen duplicibus que infra passionem celebrantur in superiore gradu legatur.

Finita collacione statim pulsatur ad completorium cum una campana, sed in duplicibus festis cum duabus; et hoc semper semel, et sequatur completorium.

## 53. IN QUIBUS FESTIS SIMPLICIBUS ET DOMINICIS RESPONSORIUM AD PRIMAS VESPERAS A DUOBUS DE SUPERIORE GRADU CANTABITUR.

Hee sunt dominice per annum in quibus responsorium ad primas vespas a duobus de superiore gradu cantabitur in capis sericis ad gradum chori: scilicet dominica prima adventus domini, et dominica in ramis palmarum, et in festis sancti vincencii, et sancti dionisii, et sancti clementis.

In predictis eciam festis antiphona super psalmos ad primas vespas in superiore gradu incipiatur.

In omnibus vero aliis festis simplicibus et dominicis per annum dicitur responsorium ad primas vespas, si responsorium habeatur, duobus de secunda forma, loco et habitu predicto.

---

<sup>18</sup> Frere reads 'cotidio', marking corrupt text.

#### 54. DE MODO EXEQUENDI OFFICIUM IN QUINTA SEXTA FERIA ET SABBATO EBDOMADE PASCHE ET PENTECOSTES.

54.1. Feria quinta sexta et sabbato ebdomade pasche et pentecostes ad matutinas antiphone super psalmos ante lecciones in superiore gradu incipiuntur; omnes lecciones a clericis de superiore gradu in superpelliceis legantur in pulpito.

Omnia responsoria ad matutinas a duobus dicuntur in superpelliceis, ita tamen quod primum et secundum responsum a clericis de secunda forma et tertium a duobus clericis de superiore gradu dicantur.

54.2. In laudibus antiphona in secunda forma incipiatur: omnes versiculi ad matutinas a duobus pueris in superpelliceis dicuntur. *Benedicamus* vero a duobus clericis de secunda forma et secundum *Benedicamus* a duobus pueris dicantur.

54.3. Ad primam et ad omnes alias horas omnia fiant sicut in dominicis.

54.4. Ad vespas antiphona super psalmos in superiore gradu incipiatur. Cetera ut supra in laudibus.

Ad completorium antiphona super psalmos in secunda forma incipiatur. Cetera ut supra.

#### 55. IN QUA HORA PROCEDAT PROCESSIO IN LETANIIS DICENDIS.

Sciendum est quod quocienscunque dicitur letania, scilicet *Kyrieleyson* ad processionem, non procedat processio ante quam dicitur *Sancta maria ora pro nobis*, vel *Quesumus alium*, sed tunc procedat semper.

#### 56. REGULA DE TERMINO QUATUOR TEMPORUM.

Terminus quatuor temporum ita se semper habeat, quod die mercurii proxima post festum sancte lucie virginis et post festum exaltacionis sancte crucis et post primam dominicam quadragesime et post diem pentecostes.

Et si festum exaltacionis sancte crucis vel festum sancte lucie virginis in quarta feria contigerint, tunc fiat ieiunium quatuor temporum in proxima ebdomada sequente.

#### 57. DE MODO LEGENDI LECCIONEM DE MARTILOGIO IN ANNO BISEXTILI SCILICET IN FESTO SANCTI MATHIE APOSTOLI ET IN PRECEDENTE DIE.

57.1. Nota quare non dicitur ‘secundo kalendas’, et ‘secundo nonas’ et ‘secundo idus’ sicut dicatur ‘tercio quarto quinto’, sed dicitur ‘pridie nonas, pridie kalendas, pridie idus,’ ratio est quia hec diccio ‘secundo’ dicitur a sequor sequeris, unde secundum; si diceret ‘secundo’, illa dies deberet sequi, et esset sensus ‘secundo kalendas’ id est die sequente kalendas, et sic de aliis: quia igitur non de sequente sed de precedente die fit

mencio, ideo convenienter dicitur pridie et non secundo: et est sensus ‘pridie kalendas’ priore die ante kalendas, id est die precedente kalendas: et similiter expone pridie nonas, pridie idus.

57.2. Notandum quod quecumque festa sanctorum que in martilogio recitantur in kalendis Nonis Idibus annunciantur, debet ille qui legit proferre dictos dies ablative ut dicat sic; ‘Kalendis maii, Luna prima’: similiter ‘Nonis maii, Luna prima, Luna quarta’, id est luna erit quarta in kalendis maii et similiter expone de nonis et idibus. Quando festa que recitantur in illis precedunt kalendas nonas et idus, tunc debent proferri in accusativo, ut dicat undecimo kalendas maii: similiter expone de nonis et idibus.

Dic lector nonas dic idus atque kalendas

Cum preeunt festa que recitantur in eis.

Set dicas nonis dic idibus atque kalendis

Quando sanctorum festa coluntur in hiis.

57.3. Hoc modo legatur leccio de martilogio in anno bisextili in festo sancti mathie apostoli et in precedenti die. Notandum est quod in anno bisextili hoc modo legatur leccio de martilogio in crastino cathedre sancti petri. “Sexto kalendas marcii, luna N, invencio capitis precursoris domini tempore marciiani principis quando ipse precursor idem duobus monachis primum eiusdem capud ubi celatum iaceret revelavit: in cesaria capadocie sancti sergii martyris, cuius gesta preclarissima habentur; et aliorum plurimorum sanctorum martyrum confessorum atque virginum.”

Et tunc in die tercia a cathedra sancti petri hoc modo legatur leccio de martilogio. Sexto kalendas marcii, luna N, nathale beati mathie apostoli, qui post ascensionem domini ab apostolis sorte electus est apud iudeam evangelium christi predicabat: in hac siquidem die carne habitacionis ergastulo solutus in celestis regie aulam letantibus angelis feliciter est susceptus: et aliorum plurimorum sanctorum martyrum confessorum atque virginum ut supra. Eodem modo finiantur omnes lecciones de martilogio per totum annum.

## 58. DE CRUCE LIGNEA QUADRAGESIME.

Omnibus dominicis quadragesime, excepta prima dominica, deferatur una crux ante processionem lignea sine ymagine crucifixi. In omnibus vero aliis processionibus festivis in quadragesima contingentibus ut in annunciacione beate marie, causa devocionis vel causa veneracionis vel contra regem vel reginam vel episcopum vel eciam ad hominem mortuum suscipiendum ordinetur processio per omnia more solito ut in alio tempore anni.

Notandum quod a die paraseves ardebit continue unus cereus ad minus ante sepulcrum usque ad processionem que fit in resurreccione dominica in die pasche: ita tamen quod dum *Benedictus* canitur et cetera que sequuntur in sequenti nocte extingatur. Similiter enim extingatur in vigilia pasche dum benedicatur novus ignis usque accendatur cereus paschalis.

## 59. QUANDO AMOVERI DEBENT SEPULCRUM ET MAGNUS CEREUS PASCHALIS.

Die veneris in ebdomada pasche ante missam amoveatur sepulchrum: et in die veneris scilicet in crastino ascensionis domini ante missam amoveatur candelabrum cum cereo paschali.

## 60. QUANDO COOPERIENDE SUNT YMAGINES PER ECCLESIAM ET DE VELO QUADRAGESIME.

60.1. Feria secunda prime ebdomade quadragesime ad matutinas omnes ymagine et omnes cruces et reliquie et vas eciam continens eukaristiam sint cooperta usque post resurrectionem dominicam in die pasche, nisi ymago beate virginis supra principale altare quando festum annunciacionis in quadragesima celebratur: et excepto similiter quod a processione dominice in ramis palmarum crux principalis in ecclesia et crux super principale altare illa dominica tantum permaneant discooperta.

60.2. Ab hac eciam die secunda feria usque ad quartam feriam ante pascha velum quoddam dependeat in presbiterio inter chorum et altare: quod per totam quadragesimam in feriis, quando de feria agitur, debet esse dimissum nisi dum evangelium vel passio legitur ad missam: tunc enim interim extollitur et elevatum dependet quousque a sacerdote dicatur *Orate fratres*.

60.3. Et si in crastino sequitur festum novem leccionum et in sabbato, tunc de cetero eo die non dimittetur nec eciam ante proximas matutinas feriales. Tamen in die festo ad missam de ieiunio semper dimittetur velum ab inicio misse usque ad incepcionem Evangelii et non ulterius eo die. Nunc eciam in ecclesia Sarum utitur ex novo quod in elevacione sacrum altaris velum semper extollitur et viso Sacramento statim dimittetur: salvis tamen excepcionibus supradictis.

60.4. Quarta autem feria ante pascha, dum passio domini legitur, debet esse dimissum et ad prolacionem huius clausule *Velum templi scissum est* predictum velum in area presbiterii decidat.

## 61. DE PULSACIONE CAMPANARUM AD COMPLETORIUM ET AD NONAM ET AD COLLACIONEM PER TOTUM ANNUM.

Omni die per annum pulsatur semel ad completorium secundum usum Sarum ecclesie, preterquam in die cene et in die paraseves tantum: in omnibus festis dupplicibus dupliciter et in omnibus aliis festis et feriis et in dominicis simpliciter. Ita tamen quod in vigilia pasche tantum pulsatur ad completorium duobus signis duppliciter vel tripliciter.

Item in omnibus festis dupplicibus per annum pulsatur ad nonam in precedenti die duppliciter. In omnibus sabbatis vero pulsatur ad nonam simpliciter. Similiter fiat in vigilia sancti laurencii.

Item cotidie per totam quadragesimam usque ad cenam domini post prandium, nisi in dominicis diebus tantum, pulsatur ad collacionem bis simpliciter et in festis duplicibus eo tempore contingentibus.

## 62. DE ACCENSIONE CEREI PASCHALIS.

62.1. In vigilia pasche dum diaconus cantet *Exultet iam angelica turba* accendatur cereus paschalis et sic ardeat continue usque post completorium in die pasche. Item ardebit per tres dies sequentes ad matutinas missas vespas et completorium. Item diebus iouis et veneris ad matutinas vespas missas sed non ad completorium. Item die sabbati et in dominica in<sup>19</sup> octava pasche sicut in predictis primis diebus. Item in festo annunciacionis beate marie si in tempore paschali evenerit et invencione sancte crucis sicut in predictis tribus diebus.

62.2. Item in vigilia ascensionis domini ad vespas et ad completorium. Item in die ascensionis domini ad matutinas missam vespas et completorium. Item in festis apostolorum Philippi et Jacobi et sancti marci evangeliste et in omnibus diebus dominicis ad missam tantum.

## 63. IN QUIBUS FESTIS MATUTINE DICANTUR HORA VESPERARUM.

Hec sunt festa in quibus matutine dicantur hora vesperarum secundum usum Sarum ecclesie: scilicet  
 festum sancte trinitatis,  
 festum de corpore christi,  
 nativitas sancti iohannis baptiste,  
 apostolorum petri et pauli,  
 translacionis sancti thome martyris,  
 et in festo reliquiarum eiusdem ecclesie.

## 64. IN QUIBUS FESTIS NOVEM LECCIONUM NON LEGETUR EXPOSICIO EVANGELII AD MATUTINAS.

Hec sunt festa novem leccionum, que non habent exposicionem evangelii ad matutinas secundum usum Sarum ecclesie: scilicet  
 Sancti Nicholai episcopi.  
 Sancte Lucie virginis.  
 Sancti Thome apostoli.  
 Fabiani et Sebastiani.  
 Agnetis virginis.  
 Vincencii martyris.  
 Agathe virginis.  
 Gregorii pape.  
 Cuthberti episcopi.  
 Benedicti abbatis.

<sup>19</sup> Frere reads 'et in'; the 'et' is otiose.

Aldelmi episcopi.  
 Barnabe apostoli.  
 Albani martiris.  
 Johannis et Pauli.  
 licet dominica fuerit.  
 Margarete virginis.  
 Invencio sancti stephani sociorumque eius.  
 ypoliti sociorumque eius licet dominica fuerit.  
 Bartholomei apostoli.

Egidii abbatis nisi quando in secunda feria differtur propter inchoacionem historie:  
 tunc enim legatur evangelium *Nemo accendit lucernam.*  
 Exaltacionis sancte crucis.  
 Edithe virginis.  
 Mauricii sociorumque eius.  
 Dionysii sociorumque eius.  
 Translacio sancti Edwardi regis et confessoris.  
 Michaelis in monte tumba.  
 Martini episcopi.  
 Sancti Machuti episcopi.  
 Edmundi archiepiscopi.  
 Sancti Hugonis episcopi.  
 Sancte cecilie virginis.  
 Sancti Edmundi regis et martyris.  
 et sancte katerine gloriose virginis.

#### 65. DE BENEDICCIONIBUS DICENDIS PER TOTUM ANNUM.

Quocienscunque fiunt novem lecciones per totum annum, dicantur iste sex benedicciones ad matutinas, preterquam in festis beate marie et omnium sanctorum. Dicantur eciam in festis trium leccionum sine expositione evangelii, sive chorus regitur, sive non; et eciam in octavis et infra et in feriis paschalis temporis secundum ordinem nocturnorum.

In primo nocturno: dicuntur hec tres benedicciones.  
*Benediccionem perpetua benedicat nos pater eternus.*  
*Deus dei filius nos benedicere et adiuvare dignetur.*  
*Spiritus sancti gratia*  
*illuminet corda et corpora nostra.*

In secundo nocturno:  
*Omnipotens dominus sua gratia nos benedicat.*  
*Christus perpetue det nobis gaudia vite.*  
*Intus et exterius*  
*purget nos spiritus almus.*

In tercio nocturno:  
 Secundum marcum.  
*Evangelicis armis*

*muniat nos conditor orbis.*

Secundum matheum.

*Evangelica leccio*

*sit nobis salus et protectio.*

Secundum lucam.

*Per Evangelica dicta*

*deleantur nostra delicta.*

Secundum iohannem.

*Fons evangelii*

*repleat nos dogmate celi.*

Quando expositio evangelii non habetur, tunc dicatur ad septimam leccionem ista benediccio.

*Creator omnium rerum*

*benedicat nos nunc et in eternum.*

Ad octavam leccionem semper dicatur ista benediccio nisi in festis beate marie et omnium sanctorum, scilicet

*Divinum auxilium*

*maneant semper nobiscum.*

Quando vero expositio evangelii ad primam leccionem dicitur, tunc sit ista benediccio secunda scilicet: *Divinum auxilium.*

In festis sanctorum sit ista nona benediccio.

*Ad societatem civium supernorum*

*perducat nos rex angelorum.*

Et dicatur semper *Rex angelorum* quodcumque dicitur secundum usum Sarum ecclesie, nisi in festis beate marie.

Quando vero de aliquo sancto fiunt tres lecciones cum expositione evangelii, tunc sit tertia benediccio, scilicet: *Ad societatem civium supernorum.*

Quodcumque enim fiunt novem lecciones de temporalibus per totum annum nisi a festo sancte trinitatis usque ad adventum domini sit ista nona benediccio :

*In unitate sancti spiritus*

*benedicat nos pater et filius.*

Dicetur etiam in festo de corpore christi et in octavis eiusdem et in festo dedicacionis ecclesie, et in dominica infra eiusdem octavas et in octavis eiusdem et in exaltacione sancte crucis.

Quando vero fiunt tres lecciones de temporalibus per totum annum cum expositione evangelii, tunc sit ista tertia benediccio: *In unitate sancti spiritus.*

A festo sancte trinitatis vero usque ad adventum domini diebus dominicis, quando de dominica agitur, sit ista nona benediccio: *In caritate perfecta.*

In omnibus vero feriis per annum extra tempus paschale et expositio evangelii non habetur, dicantur iste tres benedicciones, scilicet:

*Deus misereatur nostri, et det nobis suam pacem.*

*Virtus christi habitet in cordibus nostris.*

*De celo missus*

*doceat nos spiritus almus.*

In festo omnium sanctorum dicuntur iste benedictiones.

In primo nocturno:

*In caritate perfecta*

*confirmet nos trinitas sancta.*

*Per intercessionem sue matris,*

*benedicat nos filius dei patris.*

*Ad societatem civium supernorum*

*perducat nos rex angelorum.*

In secundo nocturno:

*Patriarcharum merita*

*nos ducant ad regna celestia.*

*Apostolorum intercessio*

*ungat nos angelorum consorcio.*

*Martirum constancia*

*nos ducat ad regna celestia.*

In tercio nocturno:

*Sancti evangelii leccio*

*sit nobis salus et proteccio.*

*Chorus sanctarum virginum,*

*intercede pro nobis ad dominum.*

*Sanctorum meritis*

*mereamur gaudia lucis.*

In festis et in commemoracionibus beate marie dicantur iste benedictiones. In primo nocturno:

*Alma virgo virginum*

*Christus marie filius*

*sit nobis clemens et propicius.*

*Sancta dei genitrix.*

In secundo nocturno.

*Sancte marie merita*

*nos ducant ad regna celestia.*

*Que peperit christum*

*pro nobis postulat ipsum.*

*Stella maria maris*

*succurre piissima nobis.*

In tercio nocturno:

*Per marie suffragia*

*prosit nobis leccio evangelica.*

*Divina solacia*

*nobis impetret virgo maria.*



*d societatem civium supernorum  
perducat nos regina celorum.*

In festis et in commemoracionibus beate marie dicantur iste benedicciones. In primo nocturno:

*Alma virgo virginum  
Christus marie filius  
sit nobis clemens et propicius.  
Sancta dei genitrix.*

In secundo nocturno.

*Sancte marie merita  
nos ducant ad regna celestia.  
Que peperit christum  
pro nobis postulat ipsum.  
Stella maria maris  
succurre piissima nobis.*

In tercio nocturno:

*Per marie suffragia  
prosit nobis leccio evangelica.  
Divina solacia  
nobis impetret virgo maria.  
Ad societatem civium supernorum  
perducat nos regina celorum.*

Item alie benedicciones de eadem.

In primo nocturno:

*Pura pudica pia  
miseris miserere maria  
Virgo parens natum  
fac nobis propiciatum  
Nos precibus matris  
salvet sapiencia patris*

In secundo nocturno:

*Virgo deo digna  
peccantibus esto benigna  
Intercede pia  
pro nobis virgo maria  
Que peperit florem  
det nobis floris odorem*

In tercio nocturno:

*Conserva famulos  
virgo maria tuos  
Sancte marie precibus  
benedicat nos pater et filius  
Filius virginis marie  
det nobis gaudia vite*

## 66. ORDO MISSE.

66.1. Ad missam dicendam executor officii cum suis ministris se induat.

Et si episcopus fuerit tres habeat diaconos et tres subdiaconos ad minus in omni festo novem leccionum et in dominicis, quando scilicet ipse exequatur officium divinum. In die vero pentecostes et in die cene septem habeat diaconos et septem subdiaconos et tres accolitos. In die parasceves unum solum habeat diaconum et unum solum subdiaconum. In aliis vero duplicibus festis per totum annum quinque tantum habeat diaconos et quinque subdiaconos et tres acolitos.

Et dum induit se sacerdos sacris vestibus dicat hunc ymnum *Veni creator, V. Emitte spiritum tuum. Or. Deus cui omne cor patet.* Deinde sequatur antiphona *Introibo ad altare* cum psalmo *Judica me deus et discerne. Kyrieleyson. Christeleyson. Kyrieleyson. Pater noster.*

66.2. Hiis finitis et officio misse inchoato cum post officium *Gloria patri* inchoatur, executor cum suis ministris presbiterium intret et ad altare ordinatim accedant: primo ceroferarii duo pariter incedentes, deinde turribularius post eum subdiaconus, exinde diaconus et post eum sacerdos, diacono et subdiacono casulis indutis, scilicet cotidie per adventum et a septuagesima usque ad cenam domini quando de temporali dicitur missa, nisi in vigilia et quatuor temporibus, manus tamen ad modum sacerdotis extra casulam non tenentibus; ceteris vero ministris, ut ceroferariis turribulario et accolito<sup>20</sup> in albis cum amictibus existentibus.

66.3. In aliis vero temporibus anni, quando de temporali dicitur missa, et in festis sanctorum tocius anni utuntur diaconus et subdiaconus dalmatica et tunica, nisi in vigiliis et quatuor temporibus et in die parasceves: tunc enim sint in albis cum amictibus induti. Notandum tamen quod in tempore pasche de quocunque dicatur missa, nisi in invencione sancte crucis, utuntur ministri altaris ad missam vestimentis albis. Similiter fiat in Annunciacione beate marie et in conceptione eiusdem, et in utroque festo sancti michaelis et in festo sancti Johannis apostoli in ebdomada natalis domini et per octavas et in octava assumptionis et nativitatis beate marie et in singulis commemoracionibus eiusdem per annum et per octavas et in octava dedicacionis ecclesie et in festo cuiuslibet virginis per totum annum.

Rubeis vero utuntur vestimentis omnibus dominicis per annum extra tempus pasche, quando de dominica agitur, et in quarta feria in capite ieiunii et in die cene et in utroque festo sancte crucis et in quolibet festo martyrum apostolorum et evangelistarum extra tempus pasche. In omnibus autem festis unius confessoris vel plurimorum confessorum utuntur vestimentis crocei coloris.

Subdiaconus eciam semper defert textum: diaconus vero nullum nisi in duplicibus; tunc enim uterque in cervicali pariter defert textum.

---

<sup>20</sup> Frere reads 'accolitis'

66.4. Ante gradum supremum altaris sacerdos ipse confessionem dicat, diacono ei assistente a dextris, subdiacono vero a sinistris, hoc modo Et ne nos. Sed libera. *Confitemini domino quoniam bonus. Quoniam in seculum misericordia eius. Confiteor deo beate marie omnibus sanctis et vobis, peccavi nimis cogitatione locutione opere mea culpa: precor sanctam mariam omnes sanctos dei et vos orare pro me.* Ministri respondeant *Misereatur vestri.* Et postea *Confiteor* ad sacerdotem. Deinde dicat sacerdos *Misereatur vestri omnipotens deus et dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet et confirmet in bono, et ad vitam perducatur eternam.* Ministri, *Amen.* *Absolucionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum, spacium vere penitencie et emendacionem vite, gratiam et consolacionem sancti spiritus tribuat nobis omnipotens et misericors dominus.* Ministri, *Amen.* ut supra in dominica prima adventus domini ad completorium dictum est.

66.5. Et sciendum est quod quisque sacerdos officium exequatur, semper episcopus si presens fuerit ad gradum altaris dicat *Confiteor, Misereatur* et *Absolucionem.* Deinde dicat sacerdos *Deus tu conversus. Et plebs. Ostende nobis. Sacerdotes tui.* Hic percuciat pectus suum dicens *Ab occultis meis. Non nobis. Sancta dei genitrix. Letamini in domino. Domine deus virtutis. Domine exaudi. Dominus vobiscum.*

Has preces dicunt quidam non in ecclesia Sarum, sed statim post absolucionem dicunt *Adiutorium nostrum.* Deinde statim sacerdos deosculetur diaconum et post eum subdiaconum dicens *Habete osculum pacis et dileccionis ut apti sitis sacrosancto altari ad perficiendum officia divina.* Et hoc semper observetur per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis et in tribus proximis diebus ante pascha.

66.6. Hiis ita peractis ceroferarii candelabra cum cereis ad gradum altaris dimittant. Deinde accedat sacerdos ad altare et dicat in medio, tacita voce inclinatoque corpore iunctisque manibus, *Oremus. Aufer a nobis &c. Per christum dominum nostrum.* Tunc erigat se et osculetur altare in medio et signet se in facie, dicens *In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.* Deinde ponat diaconus thus in turribulum et dicat diaconus prius sacerdoti *Benedicite.* Sacerdos dicat *Ab ipso benedicatur in cuius honore cremabitur in nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.* Tunc diaconus ei turribulum tradens deosculetur manum eius, et ipse sacerdos thurificet medium et utrumque cornu altaris: deinde ab ipso diacono ipse sacerdos thurificetur et postea textum ministerio subdiaconi sacerdos deosculetur.

66.7. Hiis itaque gestis in dextro cornu altaris cum diacono et subdiacono officium misse usque ad oracionem prosequatur, vel usque ad *Gloria in excelsis* quando dicitur. Quo facto sacerdos et sui ministri in sedibus ad hoc paratis se recipiant et expectent usque ad *Gloria in excelsis*, quod in medio altaris semper incipiatur quandocumque dicitur. Et semper in omnibus festis dicitur cum tonis qui scribuntur, cum *Kyrie, Sanctus* et *Agnus* in fine libri.

Post incepcionem *Gloria in excelsis* divertit se sacerdos ad dextrum cornu altaris et ministri eius cum eo prosequentes submissa voce *Et in terra pax &c.* Quod a toto choro cantatur et non alternatim, diaconus a dextris, subdiaconus a sinistris.

Hiis itaque peractis factoque signaculo crucis in facie sua, vertat sacerdos se ad populum, elevatisque aliquantulum brachiis iunctisque manibus dicat hoc modo =*Dominus vobiscum* et iterum se vertat ad altare et dicat =*Oremus.* Quocienscunque

dicitur *Dominus vobiscum* ad missam, semper sub eodem tono dicitur similiter et *Oremus*, nisi in prefacionibus, et nisi in missa sponsalium cum fiat benedictio super sponsum et sponsam ante *Pax domini*. Tunc dicitur sic =*Dominus vobiscum*. *Oremus*, et in consimilibus. Deinde dicatur oratio, ita videlicet determinando =*Per omnia secula seculorum*. Et si fuerint plures collecte dicende, iterum dicat sacerdos *Oremus*; et tunc omnes oraciones que sequuntur sub uno *Per dominum* et sub uno *Oremus* dicuntur. Ita tamen quod septenarium numerum excedere non debet secundum usum Sarum ecclesie.

66.8. Et semper dum stat sacerdos ad officium misse post eum stet diaconus directe in proximo gradu, et subdiaconus similiter in secundo gradu: ita ut quociens sacerdos ad populum convertatur, diaconus similiter convertatur. Subdiaconus vero interim genuflectendo de casula aptanda subministret.

Et si episcopus celebraverit, omnes diaconi in gradu diaconorum consistant, principali diacono medium locum inter eos optinente. Simili modo in gradu subdiaconorum se habeant subdiaconi; ceteris autem diaconibus et subdiaconibus gestum principalis diaconi et principalis subdiaconi imitantibus; excepto quod principalis diaconus sacerdoti ad populum convertenti solus subministret.

66.9. Sciendum est quod quicquid a sacerdote dicitur ante epistolam in dextro cornu altaris expleatur, preter iniectionem Gloria in excelsis. Similiter fiat post perceptionem sacramenti. Cetera omnia in medio altaris expleantur: nisi forte diaconus defuerit: tunc enim in sinistro cornu altaris legat evangelium.

Si episcopus celebraverit, in loco *Dominus vobiscum* dicit Pax vobis: et hoc semper quando in pontificalibus celebrat, excepto solummodo in missis pro defunctis.

Chorum vero ingredi licet usque ad primam collectam.

66.10. Post introitum vero misse unus ceroferariorum panem et vinum et aquam in pixide et phialo solempniter ad locum, ubi panis et vinum et aqua ad eucharistie ministracionem disponuntur, deferat: reliquus vero ceroferarius pelvim cum aqua et manutergio.

66.11. Incepta vero ultima oracione ante epistolam, casula interim deposita retro magnum altare, subdiaconus per medium chori ad legendam epistolam in pulpitem accedat. Legatur etiam epistola in pulpito omni die dominica et quocumque chorus regitur per totum annum, et in die cene et in vigilia pasche et pentecostes et in commemoracione omnium fidelium. In omnibus aliis festis et feriis et in vigiliis et quatuor temporibus extra ebdomadam pentecostes ad gradum chori legitur, tam in quadragesima quam extra: et semper hoc modo.

66.12. Interim vero veniant duo ceroferarii cum cereis obuam accolito ad hostium presbiterii, cum veneracione ipsum calicem ad locum predictae ministracionis deferat, offertorio et corporalibus ipsi calici superpositis. Est autem accolitus in alba et mantello serico ad hoc parato. Calice itaque in loco debito deposito, corporalia ipse accolitus super altare solempniter deponat, ipsumque altare in recessu deosculando. Quo facto, ceroferarii cum cereis candelabra ad gradum altaris dimittant.

66.13. Dum epistola legitur, duo pueri in superpelliceis, facta inclinacione ad altare ad gradum chori, in pulpito per medium chorum ad gradale incipiendum et suum versum cantandum se preparent: et sic incipiatur gradale et suus versus cantetur in pulpito a duobus pueris: canitur in superpelliceis omni die dominica per annum quando de dominica agitur et festum duplex non fuerit: et in festis simplicibus tam trium leccionum quam novem leccionum, in quibus chorus regitur, et etiam in die cene. In die vero animarum a tribus clericis de secunda forma ibidem dicitur, habitu non mutato.

In festis autem duplicibus dicitur a tribus clericis de secunda forma in capis sericis, duobus scilicet ex parte chori, tercio de parte altera, loco predicto servato.

66.14. Lecta vero epistola, unus ceroferariorum cum aliquo puero de choro aquilam vel lectrinum in pulpito ad legendum evangelium preparent.

66.15. Dum vero gradale canitur duo de superiore gradu ad *Alleluia* cantandum capis sericis induant se in vestiario, et ad pulpito per medium chori accedant.

Quandocumque enim dicitur versus gradalis in pulpito a duobus pueris, tunc semper dicitur *Alleluia* ibidem a duobus de superiore gradu in capis sericis, nisi infra octavas cum regimine chori: tunc enim dicitur *Alleluia* a rectoribus chori, loco et habitu predictis servatis.

66.16. Dicto vero versu gradalis, pueri cantores reincipiant gradale et percantetur a choro, ut supradictum est in dominica prima adventus domini. Quod per totum annum observetur ad missam scilicet de die, nisi in festis duplicibus et quando tractus et leccio habeatur, et nisi in quinta et sexta feria ebdomade pasche. Repetatur etiam in die natalis domini ad secundam missam et in missa *Salus populi* et pro pace, videlicet inter septuagesimam et pascha tantum.

Finito gradali cum suo versu, pueri cantores ad gradum altaris inclinati redeant.

In natali quoque in festis sanctorum Stephani Johannis Innocencium pro voluntate tunc ministrancium cantatur gradale.

66.17. Dictis gradali et *Alleluia* et sequencia vel tractu a sacerdote privatim cum suis ministris, accipiat subdiaconus panem et vinum cum calice post manuum ablucionem et ea preparent ad eukaristie ministracionem, loco ipsius administracionis preparent ministerio acoliti.

Finito *Alleluia*, clerici cantores ad gradum chori inclinati redeant: deinde ad vestibulum ad capas sericas exuendas.

66.18. Dum *Alleluia* vel tractus vel sequencia canitur a choro, diaconus casula sua, quando utitur, humerum sinistrum modo stole succinctus, se preparent, et accedens abluens manus, corporalia in altare deferat, apponens panem patene, vinum et aquam in calicem infundens, benedictionem prius a sacerdote petitam hoc modo: *Benedicite*. Sacerdote sic respondente *Dominus. Ab eo sit benedicta de cuius latere exivit sanguis et aqua. In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen*. Sacerdos vero interim sedeat in sua sede.

Nulla die dominica per annum dicitur sequencia ad missam, quando de dominica agitur, nisi per adventum et in tempore pasche et in sexta die a nativitate domini.

In missis sanctorum, quando chorus regitur, per totum annum excepta septuagesima usque ad pascha, dicitur sequencia, nisi in festis plurimorum confessorum et nisi in festo sancti michaelis in monte tumba. A septuagesima vero usque ad cenam domini in dominicis et in festis novem leccionum canitur tractus a quatuor clericis de superiore gradu in capis sericis rubeis ad gradum chori, nisi in festo Purificacionis et annunciacionis beate marie: ita quod omnes illi quatuor clerici simul primum versum incipiant, quem duo ex parte chori principali prosequantur, aliis vero duobus interim sedentibus in extrema parte prime forme; et ita alternis vicibus singuli versus ab illis quatuor tocius tractus dicuntur, choro interim sedente: ita quod ut omnes simul illum terminent tractum.

In dominica prima quadragesime et in dominica palmarum tractus a choro alternis vicibus hinc inde cantatur: ita vero quod ex parte chori principali incipiatur.

Et dum unus versus ibidem stando canitur, interim clerici ex altera parte sedeant.

66.19. Et dum *Alleluya* sequencia vel tractus canitur, diaconus antequam accedat ad evangelium pronunciandum, thurificet medium altaris tantum. Nunquam enim thurificet lectrinum neque ad missam neque ad matutinas ante pronunciacionem evangelii. Deinde commonicione puerorum ministrancium<sup>21</sup> a choro ad ministeria sua redeuncium, accipiat textum scilicet librum evangeliorum et humilians se ad sacerdotem stantem coram altare, versa facie ad meridiem ita dicens sine nota. *Jube domine benedicere*. Sacerdos respondet<sup>22</sup> *Dominus sit in corde et in ore tuo ad pronunciandum sanctum evangelium dei in nomine patris et filii et spiritus sancti Amen*.

Si autem sacerdos pro se celebret, dicat privatim *Jube domine benedicere* et postea *Dominus sit in corde meo*, &c. et sic procedat diaconus per medium chori, ipsum textum super sinistram manum solempniter gestandum ad pulpitem accedat, cum ceroferario et thuribulario precedente, {subdiacono iterum casula induto, quando utitur, librum evangelice leccionis deferente}.

Et si duplex festum fuerit crux precedat, que quasi a dextris erit legentis evangelium, facie crucifixi ad legentem conversa.

Quandocunque enim epistola legatur in pulpito, ibidem legatur et evangelium.

66.20. Et cum ad locum legendi pervenerit, textum ipsum subdiaconus accipiat et a sinistris ipsius diaconi quasi oppositus ipsum textum, dum evangelium legitur, teneat, ceroferariis diacono assistentibus, uno a dextris reliquo a sinistris ad eum conversis: thuribularius vero stet post diaconum ad eum conversus.

Et semper legatur evangelium ad missam versus aquilonem, id est boriale.

<sup>21</sup> Frere reads 'ministranciam', maring corrupt text.

<sup>22</sup> Frere reads 'respondens'.

Et si episcopus exequatur officium, omnes ministri in choro ad sequenciam dicendam veniant, quando sequencia dicitur, preter principalem diaconum et principalem subdiaconum, et ibi moram faciant diaconi et subdiaconi in medio chori cum rectoribus chori donec principalis diaconus a pulpito post lectum evangelium per chorum redeat.

Cum autem inceperit evangelium, post *Dominus vobiscum*, faciat signum crucis super librum, deinde in sua fronte et postea in pectore cum pollice. Hoc modo legantur omnia evangelia per totum annum, nisi in festis duplicibus tantum: hoc modo.

66.21. Lecto evangelio, osculetur librum et accedens subdiaconus statim porrigat ei textum deosculandum a dextris suis. In redeundo eciam textum ipse diaconus ad altare ex directo pectore deferat.

Si episcopus celebraverit, tunc post evangelium principalem diaconum comitentur ceteri diaconi et subdiaconi processionaliter a choro ad altare, ita quod bini procedant subdiaconi. Deinde principalis subdiaconus in ultimo ordine subdiaconorum, uno subdiacono incedente ei a dextris, altero a sinistris. Postea sequantur diaconi simili ordine dispositi; et hoc ipso modo et ordine ad introitum misse dominum episcopum procedant.

Finito evangelio incipiat sacerdos *Credo* cum hac nota.

66.22. Dum a toto choro non alternando canitur *Credo in unum*, accedat diaconus post lectum evangelium et offerat sacerdoti librum evangeliorum vel textum deosculandum in sinistris eius. Et quodcumque dicitur, semper a toto choro percantetur; quod observetur per totum annum quando dicendus est, sicut de *Gloria in excelsis*.

66.23. Deinde porrigat sacerdoti calicem cum patena et sacrificio et osculetur manum eius utraque vice: ipse vero accipiens ab eo calicem diligenter et ponat in loco debito super medium altaris, et inclinato parum elevet calicem utraque manu offerens domino sacrificium, et dicat cum devocione hanc oracionem *Suscipe sancta trinitas hanc oblacionem &c.*: qua dicta reponat calicem, et cooperiat cum corporalibus, ponatque panem super corporalia decenter ante calicem vinum et aquam continentem, et osculetur patenam et reponat eam a dextris super altare sub corporalibus parum cooperiando.

66.24. Hoc peracto accipiat thuribulum a diacono, et thurificet sacrificium videlicet ultra ter signum crucis faciens et ter in circuitu calicis, et ex utraque parte calicis et sacrificii. Deinde locum inter se et altare disponat. Et dum thurificet dicat *Dirigatur domine ad te oracio mea sicut incensum*. Postea thurificetur ipse sacerdos ab ipso diacono et subdiaconus deferat ei textum deosculandum. Deinde acolitus thurificet chorum, incipiens a rectoribus chori: deinde superiorem gradum ex parte decani, incipiens ab ipso decano vel a proximiori stallo, eo absente; postea superiorem gradum ex parte cantoris eodem ordine: exinde secundas formas et primas simili ordine. Ita quod ipse puer singulos clericos incensando illis inclinet, subsequente eo subdiacono cum textu ab omnibus deosculandum.

Si episcopus celebraverit et duplex festum fuerit, duo veniunt cum thuribulo et duo diaconi cum duobus textibus vel reliquiis.

Si autem episcopus non celebraverit et duplex festum fuerit, textum deferatur ab acolito ex parte cantoris: primo autem thurificandus est cantor qui stat in medio chori cum ceteris rectoribus chori, ut tenetur in festis maioribus dupplicibus tantum.

Deinde principales rectores chori ex utraque parte sui: exinde duo rectores secundarii: postea chorus more solito, eodem quoque ordine sequuntur textus.

Si presens fuerit episcopus et non exequatur officium, diaconus ab eo benedictionem accipiat ad pronuntiandum evangelium et post lectum evangelium per episcopum transeundo eum primum incensabit et postea subdiaconus textum ei apertum deosculandum porrigat.

Post *Credo in unum* dicat sacerdos *Dominus vobiscum* et *Oremus* et offerendam.

Quando vero non dicitur *Credo* dicat sacerdos *Dominus vobiscum* et *Oremus* tunc immediate. Post *Oremus* et offerendam, accedat diaconus et offerat calicem sacerdoti cum patena; et cetera supradicto modo expleantur, et thurificet sacrificium more solito, sed chorus non thurificetur: nunquam enim thurificetur chorus post evangelium ad missam, nisi quando dicitur *Credo in unum* sed tunc semper.

66.25. Hiis ita peractis eat sacerdos ad dextrum cornu altaris, et abluat manus ministerio subdiaconi et aliorum ministrorum ita dicens, *Munda me domine ab omni inquinamento &c.*, diacono interim ipsum altare in sinistro cornu thurificante, et reliquias more solito in circuitu.

Ablutis manibus sacerdotis, revertat se ad altare ad divinum officium exequendum; et diaconus et subdiaconus suis gradibus ordinate supradicto modo se teneant.

66.26. Deinde sacerdos stans ante altare inclinatoque capite et corpore iunctisque manibus, dicat *In spiritu humilitatis &c.*, et erigens se deosculetur altare a dextris sacrificii, et dans benedictionem ultra sacrificium, postea signet se dicens *In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen*. Deinde vertat se ad populum, et tacita voce dicat *Orate fratres et sorores &c.* Responsio clerici privatim *Sancti spiritus gratia illuminet cor meum et labia mea et accipiat dominus digne hoc sacrificium laudis de manibus tuis pro peccatis et offensionibus meis*.

In missis vero pro defunctis post ablucionem manuum sacerdotis, statim incipiat idem sacerdos, iunctis manibus, in medio altaris ad altare conversus, ita dicens: - *Hostias et preces tibi domine offerimus*. Chorus cantando respondet: *Tu suscipe pro animabus &c.* Et iterum dicit sacerdos *In spiritu humilitatis*. Deinde stans dicat conversus ad populum tacita voce, *Orate fratres et sorores pro fidelibus defunctis*. Responsio chori cantando, *Requiem eternam* etc. *Quam olim &c.*

Notandum quod in omnibus missis pro corpore presenti et in anniversariis cuiuscunque fuerit et trigintalibus dicitur *Hostias et preces* cum versu *Requiem eternam* et cum *Quam olim &c.*



In omnibus vero aliis missis pro defunctis non dicitur, nec in die animarum.

Et reversus ad altare sacerdos dicat secretas oraciones iuxta numerum et ordinem antedictarum ante epistolam, ita incipiens, *Oremus*.

66.27. Quibus finitis dicat aperta voce *Per omnia secula seculorum*, manibus non levatis donec dicat *Sursum corda*. Et tunc accipiat subdiaconus offertorium et patenam a manu diaconi, ipsam patenam tenendum quousque *Pater noster* dicitur acolito offertorio coopertam committat in gradu scilicet post subdiaconum iterum constituto; quod etiam observetur in omni missa ad autenticum altare celebrandum per totum annum, nisi tantum in missis pro defunctis: tamen in die animarum observabitur.

66.28. Sciendum est autem quod pueri ministrantes, dum secretum misse tractatur, in choro moram faciant, exteriorem locum prime forme tenentes, quousque sacerdos, cancellatis manibus, ad altare se inclinet: tunc enim ad altare accedant ad ministrandum diacono et subdiacono in manuum ablucione.

Hoc modo incipiantur omnes prefaciones ad missam per totum annum tam in feriis quam in festis.

Et cum dicat sacerdos *Sanctus Sanctus Sanctus* erigat se parumper brachia sua et iungat manus suas usque ad hoc verbum *In nomine domini*: tunc signet se in facie sua, et sic fiat in omnibus prefacionibus. Deinde statim iunctis manibus et oculis elevatis, incipiat *Te igitur*, corpore inclinato donec dicat ac petimus: tunc erigens se osculetur altare a dextris sacrificii, dicens *ut accepta* &c. Factis signaculis, elevet manus ita dicens, *In primis que tibi offerimus* &c. *una cum famulo tuo papa nostro N necnon et antistite nostro N* id est pro proprio episcopo tantum et non pro archiepiscopo; *et rege nostro N*: et dicuntur nominatim. Sequatur *Memento domine famulorum famularumque tuarum*. Hic oret cogitando pro vivis; *N & N et omnium circumastancium* &c. Sequatur *Communicantes* &c. *Per eundem christum dominum nostrum*.

Hic respiciat sacerdos hostiam cum magna veneracione dicens, *Hanc igitur oblacionem* &c., *Per Christum dominum nostrum*. Hic iterum respiciat hostiam dicens *Quam oblacionem* &c.: hic erigat sacerdos manus et coniungat, et postea tergat digitos et elevet hostiam dicens *Qui pridie quam pateretur* &c. Hic inclinet se, et postea elevet paululum dicens *Gracias agens bene+dixit fregit*: hic tanget hostiam dicens *Dedit discipulis suis dicens Accipite et manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum*: et debent ista verba proferri cum uno spiritu et sub una prolacione, nulla pausacione interposita: post hec verba inclinet se sacerdos ad hostiam et postea elevet eam supra frontem, ut possit a populo videri et reverenter reponat illud super corporalia ante calicem in modum crucis per eandem facte. Et tunc discooperiat calicem et teneat inter manus suas, non disiungendo pollicem ab indice, nisi dum facit benedicciones tantum, ita dicens *Simili modo postquam* &c.

Hic inclinet se sacerdos dicens *gracias agens, bene+dixit dedit discipulis suis dicens, Accipite et bibite ex eo omnes*. Hic elevet sacerdos parumper calicem dicens, *Hic est enim calix* &c.: Hic elevet calicem usque pectus vel ultra capud dicens *Hoc quocienscunque feceritis in mei memoriam facietis*. Hic reponat calicem et fricet

digitos suos ultra calicem propter micas, et cooperiat calicem et elevet brachia in modum crucis, iunctis digitis usque ad hec verba de tuis donis ac datis, ita dicens *Unde et memores domine &c. supra que propicio &c.* Hic sacerdos, corpore inclinato et cancellatis manibus, dicat *Supplices te rogamus usque ex hac altaris participatione*; et tunc erigat se deosculans altare a dextris sacrificii: et faciat signum crucis supra hostiam et in facie sua, cum dicit *omni benedictione celesti*. Ita dicens *Supplices te rogamus &c*: hic benedicat semetipsum in facie dicens *omni benedictione celesti et gracia repleamur per eundem christum dominum nostrum Amen*. Sequatur *Memento domine famulorum famularumque tuarum*: hic oret cogitando pro mortuis: *N et N qui nos precesserunt &c. per eundem christum dominum nostrum. Amen*. Hic percuciat pectus suum semel dicendo *Nobis quoque peccatoribus &c. per christum dominum nostrum*. Sequentia *Per quem hec omnia domine bona creas*: hic sacerdos ter signet calicem dicens *sanct+ificas vivi+ificas bene+dicis et prestas nobis*.

66.29. Hic sacerdos discooperiat calicem, et faciet signaculum crucis cum hostia quinquies, primo ultra calicem ex utraque parte: secundo calici equale: tercio infra calicem: quarto sicut primo: quinto ante calicem.

Interim vero diaconus a dextris sacerdotis assistat, manibus prius lotis, eique in corporalibus sustinendo subministret, et in recessu deosculans humerum eius dextrum, sacerdote sic dicente *Per ipsum+ et cum ipso+ et in ipso+ est tibi deo patri omnipotenti+ in unitate spiritus sancti+ omnis honor et gloria*. Hic cooperiat sacerdos calicem et teneat manus suas supra altare usque dicitur *Pater noster*, ita dicens: *Per omnia secula seculorum. Chorus Amen. Oremus. Preceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere*.

66.30. Hic accipiat diaconus patenam de manu subdiaconi, eamque a dextris sacerdotis extento brachio in alto usque ad *Da propicius pacem* discoopertam tenens, sacerdote sic dicente, *Pater noster*, hic elevet manus suas dicens: *qui es in celis &c.*

Et sciendum est quod semper tam in feriis quam in festis dicatur *Pater noster* sub hoc tono. Chorus respondeat *Sed libera nos a malo*.

Deinde dicat sacerdos *Amen. Libera nos quesumus domine*. Hic committat diaconus patenam sacerdoti deosculans manum eius, et sacerdos deosculetur patenam, et postea ponat ad sinistrum oculum, deinde ad dexterum: postea faciet crucem cum patena ultra capud suum et tunc reponat eam in locum suum ita dicens *Da propicius pacem &c.* Hic discooperiat calicem et sumat corpus domini cum inclinacione transponens in concavitate calicis retinendo tres partes inter pollices et indices, et frangat in tres partes dum dicitur *Per eundem dominum nostrum Jesum christum filium tuum*. Secunda fractio, *qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus*. Hic teneat duas fracturas in sinistra manu et terciam fracturam in dextera manu in summitate calicis, dicens aperta voce, *Per omnia secula seculorum*.

66.31. Deinde si episcopus celebraverit, diaconus, ad populum conversus, baculum episcopi in dextera manu tenens, curvatura baculi ad se conversa, dicat sic *Humiliate vos ad benedictionem*. Chorus respondeat *Deo gracias*. Deinde episcopus eukaristia super patenam reposita mitram sumens et baculum super populum faciat benedictionem. Peracta benedictione statim dicat episcopus more solito *Et pax dei sit*

*semper vobiscum*; chorus respondeat *Et cum spiritu tuo*. Quando vero non celebrat tunc statim post *Per omnia secula seculorum sequatur Pax domini sit semper vobiscum*. Chorus *Et cum spiritu tuo*, ut supra.

66.32. Ad *Agnus dei* dicendum, accedant diaconus et subdiaconus ad sacerdotem uterque a dextris, diaconus propior subdiaconus remocior, et dicant privatim *Agnus dei qui tollis peccata mundi miserere nobis. ij. Agnus dei qui tollis peccata mundi dona nobis pacem*.

In missis vero pro defunctis dicitur sic: *Agnus dei qui tollis peccata mundi dona eis requiem ij*, cum hac addicione in fine *sempiternam*.

Hic cruce signando deponat dictam terciam partem hostie in sanguine sic dicendo *Hec sacrosancta commixtio corporis &c. per eundem christum dominum nostrum Amen*.

Antequam pax detur, dicat sacerdos *Domine sancte pater eterne deus da mihi hoc sacrificium &c. Qui vivis et regnas deus*.

66.33. Hic deosculetur sacerdos corporalia in dextera parte et in summitate calicis, et postea diaconum, dicens *Pax tibi et ecclesie R. Et cum spiritu tuo*. Diaconus a dextris sacerdotis ab eo pacem recipiat et subdiacono porrigat.

Deinde ipse diaconus<sup>23</sup> ad gradum chori rectorem ex parte decani, dehinc alium ex parte cantoris osculetur. Qui duo pacem choro portent uterque sue parti incipientes a maioribus, scilicet a decano cantore vel ab hiis qui stallis eorum constant proximiores. Deinde a cancellario et thesaurario vel ab hiis qui stallis eorum sunt proximiores. Deinde ab extremis secunde forme et postea ab extremis prime forme, qui pacem aliis earundem formarum percipient.

In festis dupplicibus primo deosculetur diaconus subdiaconum deinde duos secundarios rectores ad gradum chori; qui primo pacem deferant cantori si regimini chori interfuerit et eis duobus collateralibus rectoribus principalibus. Postea ipsis principalibus rectoribus pacem ipsam ex parte decani et cantoris deferentibus ad gradum superiorem et inferiorem, secundariis vero deferentibus ex parte cancellarii et thesaurarii ad gradum superiorem et inferiorem et eciam ad ipsos pueros. In festis vero et in feriis quando chorus non regitur pax a diacono choro apportatur per duos extremos de secunda forma: cetera sicut prius.

Si episcopus celebraverit, principalis diaconus deosculetur principalem subdiaconum a quo ceteri diaconi pacem sumant. Deinde duos secundarios rectores, si duplex festum fuerit qui primo deferant ad rectores principales, postea ipsis principalibus rectoribus pacem ipsam ex parte decani et cantoris deferentibus: secundariis vero ex parte cancellarii et thesaurarii: et si fuerint duo tantum rectores eos deosculetur &c. ut supra. Si presens fuerit et non celebraverit, pacem statim post deosculatum subdiaconum ipsi episcopo diaconus pacem porriget &c. sicut prius.

<sup>23</sup> Frere mistranscribed this word as 'sacerdos' from Corpus Christi MS 44 (NCC), but it is 'diaconus' there and in all other sources.

Quando chorus non regitur, duo extremi de secunda forma ad gradum chori a diacono pacem sumant et ab eisdem chorus ut superius apportetur.

66.34. Post pacem datam dicat sacerdos oraciones sequentes privatim antequam communicet, tenendo hostiam duabus manibus ita dicens, *Deus pater fons et origo.*

Hic inclinet se sacerdos ad hostiam ita dicens: *Te adoro, te glorifico, te tota cordis intencione &c. per eundem christum dominum nostrum Amen.*

Alia oracio. *Domine Jesu christe fili dei vivi, qui ex voluntate patris &c. Salvator mundi, qui cum deo patre et eodem spiritu sancto vivis et regnas deus per omnia secula seculorum Amen.* Sequatur *Corporis et sanguinis tui &c.* Ad corpus dicat cum inclinacione antequam percipiat. *Ave in eternum sanctissima caro christi mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo. Corpus domini nostri Jesu Christi sit mihi peccatori via et vita Amen: in nomine patris et filii et spiritus sancti Amen.*

Hic sumat corpus, cruce facta de eo corpore ante os recipientis.

Deinde ad sanguinem cum magna devocione dicens, *Ave in eternum celestis potus mihi ante omnia et super omnia summa dulcedo: corpus et sanguis domini nostri Jesu Christi prosit mihi peccatori ad remedium sempiternum in vitam eternam Amen: in nomine patris et filii et spiritus sancti Amen.*

Hic sumat sanguinem; quo sumpto eat sacerdos ad dextrum cornu altaris cum calice inter manus, adhuc digitis coniunctis, sicut prius, et accedat subdiaconus et effundat in calicem vinum et aquam et resincerat sacerdos manus suas ne alique reliquie corporis et sanguinis remaneant in digitis vel in calice.

Cum vero aliquis sacerdos debet bis celebrare in uno die, tunc non debet accipere ablucionem ullam sed ponere in sacrario aut in vase mundo usque ad finem alterius misse, et tunc sumatur utraque ablucio: Post primam effusionem sequitur ista oracio. *Quod ore sumpsimus &c.* Hic lavet digitos suos in concavitate calicis cum vino infuso a subdiacono: quo hausto sequitur ista oracio. *Hec nos domine communio &c.* Hic infundat subdiaconus aquam in calicem, qua hausta eat sacerdos in medio altaris et inclinet se et dicat cum devocione hanc oracionem. *Gracias tibi ago domine sancte pater &c.:* et cum hac oracione eat sacerdos ad dextrum cornu altaris et abluat manus. Diaconus interim corporalia complicit ad dextrum cornu altaris. Subdiaconus librum portet. Et accepto diaconus calice iacente super patenam, et redeunte sacerdote ad dextrum cornu altaris, si aliquid infusionis remaneat ori sacerdotis porrigat resumendum.

Post percepcionem sacramenti, sacerdote ad manus abluendum veniente, diaconus corporalia complicit et in loculo reponat. Postea vero ipsa corporalia calici cum offertorio superponat et ipsum quoque calicem dum postcommunio dicitur ipsi acolito committat: qui dum *Per omnia secula seculorum* dicitur post oracionem ea solempnitate qua eum apportavit reportet. Ablutis manibus sacerdotis revertat se ad dextrum cornu altaris et dicat una cum ministris communionem. Deinde facto signaculo crucis in facie vertat se sacerdos ad populum sacerdos, elevatisque aliquantulum brachiis et iunctis manibus dicat *Dominus vobiscum* et iterum vertat se

ad altare dicens *Oremus*. Deinde dicat postcommuniones iuxta numerum et ordinem antedictarum oracionum ante epistolam.

66.35. Finita ultima postcommunione factoque signaculo crucis in sua fronte, iterum se vertat sacerdos ad populum et dicat *Dominus vobiscum*. Deinde dicat diaconus casula sua reindutus, quando utitur, *Benedicamus domino*. Alio vero tempore dicitur *Ite missa est*. Quocienscunque enim dicitur *Ite missa est*, semper dicitur ad populum convertendo: et cum dicere debeat *Benedicamus domino* vel *Requiescant in pace* convertendo ad altare dicitur. Et notandum quod in ea parte altaris qua missa incipiat in eadem finiatur.

Hiis finitis, sacerdos corpore inclinato iunctis manibus tacita voce coram altari in medio dicat hanc oracionem: *Placeat tibi sancta trinitas*. Qua finita erigat se sacerdos signans se in facie sua dicens, *in nomine patris et filii et spiritus sancti Amen*. Et sic inclinacione facta eo ordine quo prius accesserunt ad altare in principio misse sic induti cum ceroferariis et ceteris ministris redeant in fine: et statim post *Deo gracias* in choro incipiat hora nona quando post missam dicitur. Sacerdos vero in redeundo dicat evangelium *In principio erat Verbum*.

66.36. Predictus modus et ordo servetur servicii in omnibus feriis et festis et in octavis et infra quando chorus non regitur, quibusdam tamen exceptis; quod in hiis predictis feriis et festis et octavis intrat sacerdos cum suis ministris ad officium exequendum et in inicio ipsius officii misse.

66.37. Preterea gradale ab uno solo puero ceroferario in alba debet dici, et hoc a parte chori et ante gradum chori. In festis vero quando invitatorium a duobus cantatur et in octavis et infra sine regimine chori, dicitur gradale a duobus pueris in superpelliceis ad gradum chori.

*Alleluya* vero tunc a duobus clericis de secunda forma dicitur, loco et habitu predictis servatis. In festis tamen quo *Alleluya Laudate pueri domini* dicitur, idem *Alleluya* semper a duobus pueris in superpelliceis cantatur ad gradum chori. Similiter fiat in omnibus feriis paschalis temporis scilicet quod primum *Alleluya* duobus cantatur pueris: similiter et secundum *Alleluya* ab aliis duobus loco et habitu predicto servatis cantantur et eciam in sabbato in ebdomada pasche.

In ceteris vero festis et feriis per totum annum extra septuagesimam usque ad pascha et vigiliis et quatuor tempora ab uno solo puero ceroferario ex parte chori altera secundum cantatur *Alleluya* ad gradum chori in superpelliceo.

In festis vero sine regimine chori paschalis temporis primum *Alleluya* a duobus pueris in superpelliceis ad gradum chori et secundum *Alleluya* a duobus de secunda forma in simili habitu ad gradum chori dicitur.

Preterea nulla feria per annum ad missam dicitur *Gloria in excelsis* nec *Ite missa est* quando de feria dicitur missa vel de dominica per ebdomadam, nec eciam in vigiliis sanctorum vel de temporali nisi tantum in vigilia pasche et pentecostes.

66.38. Preterea in vigilia natalis domini, dum oracio ante epistolam dicitur, veniat accolitus ad gradum chori et ibi leccionem ante epistolam legat et terminet sub hoc

tono: Similiter et omnes lecciones que legantur ad missam per totum annum dicuntur.

Qua lecta, epistola ibidem absque intervallo legatur.

66.39. Preterea in feria quarta quatuor temporum accolitus simili quoque modo leccionem ante epistolam legat, sed sine *Dominus vobiscum* precedat oracio, et cum cantus intervallo<sup>24</sup> epistola sequatur.

Simili modo in sabbatis quatuor temporum primam leccionem legat accolitus: deinde sequentes lecciones in secunda forma discurrant pro dispositione magistri scholarum in superpelliceis, ita quod ultima sacerdote de superiore gradu legatur: cantus vero post singulas lecciones singuli pueri secundum dispositionem cantoris in superpelliceis cantent.

66.40. Post ultimam tamen leccionem cantent duo de secunda forma in superpelliceis: et hec omnia ad gradum chori fiant.

Post epistolam vero duo clerici de secunda forma in capis nigris ad gradum chori totum et integrum tractum simul cantent, choro vero interim sedente.

Preterea in quarta et sexta feria et sabbato quatuor temporum ebdomade pentecostes diaconus et subdiaconus utuntur dalmaticis et tunicis; et *Gloria in excelsis* et Sequencia et *Credo in unum* et *Ite missa est* dicantur in missa.

Preterea in sabbato ebdomade pentecostes post singulas lecciones duo pueri cantent *Alleluya* sine repetitione. Post ultimam tamen leccionem duo clerici de secunda forma in superpelliceis cantent *Alleluya*, *Benedictus es domine*. Epistola vero et evangelium in pulpito legantur et ibidem cantetur *Alleluya*, *Laudate pueri* a duobus de superiore gradu in capis sericis.

Preterea a septuagesima usque ad pascha non dicitur *Alleluya* ad missam sed per totam quadragesimam omni secunda et quarta et sexta feria dicitur tractus in choro alternando sicut in dominica prima quadragesime.

In ceteris autem feriis a septuagesima usque ad cenam domini et in vigiliis tocius anni exceptis dominicis et excepto tempore pasche, dicitur gradale cum suo versu tantum.

66.41. Preterea evangelium non in pulpito in aquila sed in presbiterio iuxta inferiorem gradum altaris super lectrinum ad hoc paratum versus aquilonem converso diacono legatur: quod unus ceroferariorum post lectam epistolam in debito loco disponet et ornet.

Dum legatur evangelium subdiaconus textum teneat in faciem legentis, ceroferariis diacono assistentibus, uno a dextris, reliquo a sinistris: puer vero turribularius stet iuxta gradum predictum post diaconum ex altera parte presbiterii ad eum conversus.

Post lectum evangelium sacerdos textum ministerio diaconi deosculetur, sed tunc non thurificetur nec chorus. Nunquam enim thurificetur chorus post evangelium ad

---

<sup>24</sup> Frere reads 'cum cantus sine intervallo' and marks textual corruption.

missam nisi quando dicitur *Credo in unum*, sed tunc semper. Tamen sacrificium cotidie thurificetur.

66.42. Preterea in omnibus feriis et festis trium leccionum et in octavis et infra quando chorus non regitur extra tempus pasche post terciam dicitur missa pro defunctis, nisi in crastino alicuius sancti duplicis festi, cum diacono et subdiacono albis cum amictibus indutis: quod semper observetur in omnibus missis pro defunctis scilicet nisi pro corpore presenti et in anniversariis episcoporum et in die animarum.

Tunc enim dalmaticis et tunicis utuntur nigris. Similiter et casula sacerdotalia<sup>25</sup>.

Preterea in omni missa que de feria dicitur fiat prostratio a toto choro statim post *Sanctus* usque *Pax domini* per totum annum nisi a pascha usque ad *Deus omnium*.

66.43. Notandum est quod a *Domine ne in ira* usque ad cenam domini et a *Deus omnium* usque ad vigiliam natalis domini dicuntur iste preces sequentes ad missam cotidie in feriis et festis trium leccionum et in octavis et infra quando chorus non regitur: et dicantur inter *Per omnia secula seculorum* post *Pater noster* et *Pax domini*; sacerdote dicente sic *Per omnia secula seculorum*, choro respondente *Amen*, statim dicat chorus per se preces in prostratione: sacerdos vero cum suis ministris similiter dicat preces sine prostratione hoc modo: Ps. *Deus venerunt*. Totus psalmus dicitur cum *Gloria patri*. Alius Ps. *Deus misereatur* et alius Ps. *Domine in virtute* similiter dicuntur cum *Gloria patri*. Deinde dicatur antiphona *Tua est potencia tuum regnum, domine, tu es super omnes gentes; da pacem domine in diebus nostris*.

*Kyrieleyson, Christeleyson. Kyrieleyson. Pater noster.*

Et hec omnia sine nota dicuntur tam a clericis in choro quam a sacerdote cum suis ministris. Deinde dicat sacerdos cum nota *Et ne nos. Sed libera, Exurgat deus. Et fugiant. Non nobis domine. Sed nomini tuo da gloriam. Oremus pro afflictis et captivis. Libera deus israel ex omnibus tribulacionibus eorum. Mitte eis domine. Et de syon. Esto eis domine. A facie inimici. Domine salvum fac. Et exaudi nos. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Deus qui admirabili providencia ... Rege quesumus domine famulum tuum ... Da quesumus omnipotens deus famulo tuo ...*

66.44. Cum vero exuerit sacerdos casulam et alia vestimenta sacerdotalia, dicat psalmos subscriptos sub uno *Gloria patri* cum antiphona *Trium puerorum*. Ps. *Benedicite sacerdotes &c.* usque ad finem. Ps. *Laudate dominum in sanctis eius*: totus psalmus dicitur. Ps. *Nunc dimittis*. Deinde tota dicitur antiphona. *Trium puerorum cantemus ymnum quem cantabant in camino ignis benedicentes dominum. Kirieleyson Christeleyson Kirieleyson Pater noster. Et ne nos. Sed libera nos. Benedicamus patrem et filium. Laudemus et superexaltemus. Benedictus es domine in firmamento celi Et laudabilis. Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors deus Amen. Non intres in iudicium. Quia non iustificabitur. Domine deus virtutum. Et ostende. Domine exaudi. Et clamor. Dominus vobiscum Et cum spiritu. Oremus. Deus qui tribus pueris. Oratio *Ure igne sancti spiritus*. Oratio *Acciones nostras*: et finiantur sub ista determinacione *Per christum dominum nostrum. Amen.**

<sup>25</sup> This seems ungrammatical: perhaps 'sacerdotalis' was intended.

## 67. MEMORIE SANCTORUM.

67.1. Hoc modo dicuntur memorie ad vespervas et ad matutinas per ebdomadam natalis domini, ubi fit processio de sanctis secundum usum Sarum.

In die sancti stephani. Ad vespervas. Ant. *Lux orta*. Versiculus. *Verbum caro*. Oracio. *Concede quesumus omnipotens deus*.

In die Sancti Johannis apostoli.

Ad matutinas. Ant. *Hodie intacta*. Versiculus. *Benedictus qui venit* Ant. *Sepelierunt Stephanum*. Versiculus. *Justus germinabit*.

Ad vespervas. Ant. *Gaudeamus*. Versiculus. *Verbum*. Ant. *Tu principatum*. Versiculus. *Gloria et honore*.

In die sanctorum Innocencium.

Ad matutinas. Ant. *Nesciens mater*. Versiculus. *Benedictus qui*. Ant. *Lapidaverunt*. Versiculus. *Justus germinabit*, Ant. *Valde honorandus*. Versiculus. *Annunciaverunt*.

Ad vespervas. Ant. *Virgo verbo*. Versiculus. *Verbum caro*. Ant. *Lapides torrentes*. Versiculus. *Gloria et honore*. Ant. *Hic et discipulus ille*. Versiculus. *Valde honorandus*.

In die sancti Thome martyris.

Ad matutinas. Ant. *Beatus venter*. Versiculus. *Benedictus qui*. Ant. *Adhesit*. Versiculus *Posuisti domine*. Ant. *Hic est discipulus meus*. Versiculus *Valde honorandus*. Ant. *Innocentes*. Versiculus. *Mirabilis*.

Ad vespervas. Ant. *Virgo dei genitrix*. Versiculus. *Verbum caro*. Ant. *Stephanus*. Versiculus. *Gloria et honore*-. Ant. *Ecce puer meus*. Versiculus. *Valde*. Ant. *Laverunt*. Versiculus. *Letamini*.

Sexta die a nativitate domini.

Ad matutinas. Ant. *Pastores*. Versiculus. *Ipse invocavit*. Ant. *Ecce video*. Versiculus. *Justus germinabit*. Ant. *Sunt de hic*. Versiculus *Valde*. Ant. *Ambulabunt*. Versiculus. *Mirabilis*. Ant. *Pastor cesus*. Versiculus. *Ora pro nobis*.

Ad vespervas de sancto Silvestro. Ant. *Virgo hodie*. Versiculus. *Verbum caro*. Ant. *Beatus stephanus*. Versiculus. *Gloria et*. Ant. *Sic eum volo*. Versiculus. *Valde*. Ant. *Captabunt*. Versiculus. *Letamini in domino*. Ant. *Granum cadit*. Versiculus. *Ora pro*.

In die sancti Silvestri. Ad matutinas. Ant. *Hodie intacta*. Versiculus. *Benedictus*. Ant. *Constitutus*. Versiculus. *Posuisti*. Ant. *Johannes apostolus*. Versiculus. *Valde honorandus*. Ant. *Herodes iratus*. Versiculus. *Mirabilis*. Ant. *Totus orbis*. Versiculus. *Ora pro nobis*.

In octava sancti Stephani.

Ad matutinas. Ant. *Supra pectus*. Versiculus. *Valde honorandus*. Ant. *A bymatu*. Versiculus. *Mirabilis*. Ant. *Aqua Thome*. Versiculus. *Ora pro nobis*. Ant. *Ecce maria virgo*. Versiculus. *Post partum*.

Ad vespervas. Ant. *Vox in rama*. Versiculus. *Letamini*. Ant. *Valde honorandus*. Versiculus. *In omnem terram*. Ant. *Ad Thome*. Versiculus. *Ora pro nobis*. Ant.



*Quando natus. Versiculus. Speciosus forma*<sup>26</sup>.

In octava Sancti Johannis.

Ad matutinas. Ant. *Sub throno. Versiculus. Mirabilis. Ant. Tu per thome. Versiculus. Ora pro. Ant. Ecce maria. Versiculus. Post partum.*

Ad vespervas. Ant. *Innocentes. Versiculus. Letamini. Ant. Summo sacerdocio.*

Versiculus. *Ora. Ant. Quando natus. Versiculus. Speciosus.*

In octava sanctorum Innocencium.

Ad matutinas. Ant. *Monachus. Versiculus. Ora. Ant. Ecce maria. Versiculus. Post partum. Ad vespervas. Ant. Pastor cesus.*

Versiculus. *Ora. Ant. Confessor domini. Versiculus. Amavit eum. Ant. Quando natus. Versiculus. Speciosus.*

In vigilia Epiphanie.

Ad matutinas. Ant. *Opem nobis. Versiculus. Ora. Ant. Euge serve. Versiculus. Justus germinabit. Ant. Exultabunt. Versiculus. Mirabilis.*

67.2. Ubi non fit processio de sanctis ad vespervas per ebdomadam natalis domini, hoc modo fiant memorie ad vespervas et ad matutinas.

In die sancti Stephani.

Ad vespervas. Ant. *Valde honorandus. Versiculus. In omnem terram. Ant. Lux orta. Versiculus. Verbum caro.*

In die sancti Johannis.

Ad matutinas. Ant. *Hodie intacta. Versiculus. Benedictus. Ant. Sepelierunt. Versiculus. Justus germinabit.*

Ad vespervas. Ant. *Innocentes. Versiculus. Letamini. Ant. Gaudeamus. Versiculus. Verbum. Ant. Lapidaverunt. Versiculus. Gloria et.*

In die sanctorum Innocencium.

Ad matutinas. Ant. *Nesciens mater. Versiculus. Benedictus. Ant. Lapides torrentes. Versiculus. Justus germinabit. Ant. Hic est discipulus. Versiculus. Valde.*

Ad vespervas Ant. *Pastor cesus. Versiculus. Ora pro. Ant. Virgo verbo. Versiculus. Verbum caro. Ant. Adhesit anima. Versiculus. Gloria et. Ant. Hic est discipulus meus. Versiculus. Valde.*

In die sancti Thome.

Ad matutinas. Ant. *Beatus venter. Versiculus. Benedictus. Ant. Stephanus. Versiculus. Posuisti. Ant. Ecce puer. Versiculus. Valde. Ant. Laverunt stolas Versiculus. Mirabilis.*

Ad vespervas. Ant. *Virgo dei genitrix. Versiculus. Verbum. Ant. Ecce video. Versiculus. Gloria et. Ant. Sunt de hic. Versiculus. Valde honorandus. Ant. Ambulabunt. Versiculus. Letamini in domino.*

Sexta die a Nativitate domini.

Ad matutinas. Ant. *Pastores dicite. Versiculus. Ipse invocavit. Ant. Beatus Stephanus.*

<sup>26</sup> Frere reads 'factus' marking corrupt text.

Versiculus. *Justus germinabit.* Ant. *Sic eum volo.* Versiculus. *Valde.* Ant. *Captabant.*  
Versiculus. *Mirabilis.* Ant. *Granum cadit.* Versiculus. *Ora pro.*

Ad vespervas de sancto Silvestro. Ant. *Virgo hodie.* Versiculus. *Verbum caro.* Ant.  
*Constitutus.* Versiculus. *Gloria et.* Ant. *Johannes apostolus.* Versiculus. *Valde.* Ant.  
*Herodes iratus.* Versiculus. *Letamini in domino.* Ant. *Totus orbis.* Versiculus. *Ora*  
*pro.*

In die sancti Silvestri.

Ad matutinas. Ant. *Hodie intacta.* Versiculus. *Benedictus qui.* Ant. *In tribulacione.*  
Versiculus. *Posuisti domine.* Ant. *Supra pectus.* Versiculus. *Valde honorandus.* Ant.  
*A bymatu.* Versiculus. *Mirabilis deus.* Ant. *Aqua thome.* Versiculus. *Ora.*

In octava sancti Stephani. Ant. *Quasi unus.* Versiculus. *Valde.* Ant. *Vox in rama.*  
Versiculus. *Mirabilis.* Ant. *Ad thome.* Versiculus. *Ora pro nobis.* Ant. *Ecce maria.*  
Versiculus. *Post partum.*

Ad vespervas. Ant. *Valde honorandus.* Versiculus. *In omnem terram.* Ant. *Sub trono.*  
Versiculus. *Letamini in domino.* Ant. *Tu per thome.* Versiculus. *Ora pro nobis.* Ant.  
*Quando natus.* Versiculus. *Speciosus forma.*

In octava sancti Johannis.

Ad matutinas. Ant. *Laudes reddant.* Versiculus. *Mirabilis.* Ant. *Summo sacerdocio.*  
Versiculus. *Ora.* Ant. *Ecce maria.* Versiculus. *Post partum.*  
Ad vespervas. Ant. *Innocentes.* Versiculus. *Letamini.* Ant. *Monachus.* Versiculus. *Ora.*  
Ant. *Quando natus.* Versiculus. *Speciosus forma.*

In octava sanctorum innocencium.

Ad matutinas. Ant. *Cultor agri.* Versiculus. *Ora.* Ant. *Ecce maria.* Versiculus. *Post*  
*partum.*  
Ad vespervas. Ant. *Pastor cesus.* Versiculus. *Ora.* Ant. *Confessor domini .* Versiculus.  
*Amavit eum.* Ant. *Quando natus.* Versiculus. *Speciosus forma.*

In vigilia Epiphanie. Ad matutinas. Ant. *Opem nobis.* Versiculus. *Ora pro.* Ant. *Euge*  
*serve.* Versiculus. *Justus germinabit.* Ant. *Exultabunt.* Versiculus. *Mirabilis deus.*

#### 68. DE MODO TERMINANDI ORACIONES GENERALITER PER TOTUM ANNUM QUANDOCUNQUE DICENDE SUNT.

Videndum nobis est et magna intencione intelligendum qualiter oraciones quas ad missam sive ad horas dicturi sumus concludere debeamus; quod nullo modo scire poterimus nisi per rationem istarum oracionum illud intelligamus.

Nullus ad altare patrem pro filio nec filium pro patre nominare debet sed oraciones illas quas ad patrem sine mencione filii faciamus sic concludere debemus *Per dominum nostrum iesum christum filium tuum,* &c. sicut istas et multas alias oraciones similes istis – *Concede nos famulos tuos quesumus,* &c. *Deus qui miro ordine.* Unde versus:-

Per dominum dicas  
cum patrem presbiter oras.

Item oraciones, quas ad patrem cum mencione filii facimus circa principium, sic concludere debemus: *Per eundem dominum nostrum iesum christum &c.* Sicut istas et multas alias similes istis *Deus qui de beate marie. Largire nobis clementissime pater.*

Si vero circa finem sic concludimus: *Qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti, deus,* sicut istas et consimiles istis. *Presta quesumus omnipotens deus ut natus hodie Omnipotens sempiterne deus dirige actus nostros. Da nobis quesumus domine imitare.* Unde versus:

Principio natum memorans finem per eundem.  
Si circa finem qui tecum dicere debes.

Oraciones autem quas facimus ad filium sic finimus, *Qui vivis et regnas cum deo patre in unitate sancti spiritus, deus:* vel sic *Qui cum patre et spiritu sancto. ut est Deus qui sanctam crucem.* vel *Fidelium deus.* Et sic de ceteris similibus. Unde versus:

Cum loqueris Christo  
qui vivis adesse memento.

Item oraciones ad patrem in quibus mencionem de trinitate facimus sic concludimus: *In qua vivis et regnas deus per omnia secula seculorum:* sicut istas et multas alias:- *Omnipotens sempiterne deus qui das famulis tuis, Populum tuum quesumus domine non deserat pietas tua.* Unde versus:-

Dic in qua vivis  
ubi mencio fit trinitatis.

Illas autem oraciones quas facimus ad ipsam trinitatem tantum sic concludimus: *Qui vivis et regnas, deus per.* Sicut istam et consimiles:- *Placeat tibi sancta trinitas obsequium servitutis.*

Item oraciones ad patrem in quibus mencionem de spiritu sancto facimus sic finimus, *Per dominum nostrum iesum christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate eiusdem spiritus sancti deus.* Sicut istas et consimiles : *Deus qui corda fidelium, Mentis nostras quesumus domine.* Unde versus :

Commemorans flamen  
eiusdem dic prope finem.

Illas autem quas ad filium facimus cum mencione spiritus sancti sic concludimus: *Qui cum patre et eodem spiritu sancto vivis et regnas:* sicut istam *Domine Jesu christe qui introitum portarum.*

Secundum vero romanam auctoritatem nullam oracionem concludimus cum *Per eum qui venturus est iudicare vivos et mortuos* nisi sit exorcismus in quo per divinum iudicium diabolum ut a creatura dei recedat adiuramus. Nam in aliis oracionibus quas per dominum nostrum includimus, patrem ut per amorem filii sui subveniat imploramus. In exorcismo autem diabolum per dei iudicium ut effugiat increpamus.

69. GRACIE DICENDE DIVERSIS TEMPORIBUS ANNI SECUNDUM ANTIQUUM USUM ECCLESIE ET EPISCOPORUM SARUM.

In vigilia pasche ante prandium.

*Benedicite. Dominus. Edent pauperes &c. Gloria patri. Sicut erat. Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Oremus. Benedic domine. Jube domine benedicere. Cibo spirituali.*

Sequatur leccio. *Si consurrexistis cum christo que sursum sunt querite ubi christus est in dextra dei sedens.*

Post prandium. *Deus pacis &c. Memoriam fecit &c. Gloria patri. Sicut Agimus tibi gracias &c Ps. Laudate deum omnes gentes. Quoniam confirmata. Gloria patri. Sicut erat. V. In resurrectione tua christe. R. Celi &c. Statim sequatur Dominus vobiscum. Oremus. Spiritum in nobis, domine, tue caritatis infunde ut quos sacramentis paschalibus saciasti tua facias pietate concordet. Per dominum nostrum iesum christum filium tuum qui vivit et regnat. In unitate eiusdem spiritus sancti deus. Dominus vobiscum. Et cum. Benedicamus domino sine Alleluya. Deo gracias. dicatur Ps. De profundis clamavi.*

In die pasche.

*Benedicite. Dominus. Hec dies. Gloria patri. Sicut erat. Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Oremus. Benedic domine. Jube domine. Mense celestis. Leccio. Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio sicut estis azimi:- etenim pasca nostrum immolatus est christus itaque epulemur in domino, et non ulterius.*

Post prandium. *Qui dat escam omni carni. Confitemini domino celi. Tu autem domine miserere nostri. Deo gracias. Ps. Laudate deum omnes gentes. Quoniam confirmata. Gloria patri. Sicut erat. V. In resurrectione tua Christe. R. Celi et terra letentur, Alleluya. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. Spiritum in nobis. Per dominum. In unitate. Dominus vobiscum. Benedicamus domino sine Alleluya. Ps. De profundis sed statim post Benedicamus domino sit dicendo Anime omnium fidelium defunctorum per misericordiam dei in pace requiescant.*

*Benedicite. Dominus det nobis suam pacem et requiem sempiternam.*

Eodem modo dicuntur per totam ebdomadam; et hec leccio scilicet *Expurgate* omnibus dominicis diebus usque ad ascensionem dicitur.

Ad cenam vero per totum annum dicitur benedictio scilicet *Cenam sanctificet qui nobis omnia prebet. In nomine.*

Post cenam vero per hanc ebdomadam hoc modo dicitur *Benedicite. Dominus. Cenam sanctificet qui nobis omnia prebet. In nomine patris. Hec dies &c. V. In resurrectione tua christe. Dominus vobiscum. Oremus. Spiritum in nobis, et finiatur ut predictum est: Dominus vobiscum. Benedicamus domino sine Alleluya. Non dicitur psalmus De profundis post cenam secundum usum Sarum ecclesie, sed statim post Benedicamus*

*domino sic dicendo Anime omnium fidelium defunctorum per misericordiam dei in pace requiescant.*

Per reliquum vero tempus tocius anni dicitur post cenam *Benedictus deus in donis suis. Et sanctus in omnibus operibus suis. Adiutorium nostrum in nomine domini. Qui fecit. Sit nomen domini. Ex hoc nunc.* Non dicitur *Oremus* sed sic: *Retribuere dignare* ut supra.

Nulla die per annum dicitur psalmus *De profundis* post cenam secundum usum predictum.

In diebus veneris et in vigiliis et in quatuor temporibus et quocienscunque ieiunium est preceptum extra quadragesimam et ebdomadam pasche dicuntur iste benedicciones ante prandium.

*Benedicite. Dominus. Edent pauperes* cum leccione. *Gloria patri. Sicut. Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Oremus. Benedic. Jube domine. Cibo spirituali.*

Leccio. *Gracia domini nostri* usque ad hec verba *omnibus nobis* tantum.

Et post prandium. *Deus pacis. Memoriam fecit et cetera more solito. Gloria. Sicut. Agimus. Laudate deum omnes gentes. Quoniam confirmata. Gloria. Sicut. Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Sed libera. Dispersit dedit. Justicia eius. Benedicam dominum. Semper laus. In domino laudabitur. Audiant mansueti. Magnificate. Et exaltemus nomen. Sit nomen. Ex hoc nunc. Retribuere dignare. Benedicamus domino. Deo gracias.*

Notandum quod ante hanc oracionem *Retribuere dignare* nunquam dicitur *Oremus*, quecunque benedicciones dicantur secundum usum Sarum.

Quodcunque duplex festum in die veneris contigerit extra quadragesimam et ebdomadam pasche excepto die natalis domini dicantur hee predictae benedicciones de ieiunio scilicet *Edent pauperes* et cetera more solito. Hoc eodem modo dicantur per totam quadragesimam exceptis diebus dominicis et in feriis et in festis, quodcunque fuerit sive simplex sive duplex sed cum hac leccione *Frange esurienti* et cum psalmo *Miserere* scilicet post prandium loco *Laudate dominum*, scilicet per hanc racionem quia huiusmodi benedicciones sunt de natura temporalis et non sanctorum. Quandocunque enim dicitur missa de ieiunio in quadragesima dicuntur benedicciones ante prandium cum hac leccione *Frange* et cum psalmo *Miserere* post prandium.

Ceteris autem omnibus diebus tocius anni scilicet extra tempus pasche et quadragesime et quando non est dies veneris nec ieiunium preceptum et in die natalis domini quacunque die contigerit et in omnibus dominicis quadragesime dicantur hoc modo benedicciones, scilicet: ante prandium

*Benedicite. Dominus. Oculi omnium &c. Gloria. Sicut. Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater. Et ne. Sed libera. Oremus. Benedic. Jube domine. Mense. Cum leccione Deus caritas.*

Post prandium *Deus pacis &c. Confiteantur tibi* et cetera more solito.

Gracie ante gentaculum.

*Benedicite. Dominus. Apposita et apponenda benedicat dei patris in nomine patris.*

Post gentaculum. *Pro tali convivio benedicamus domino. Anime omnium fidelium.*

Gracie post gentaculum, quod sit aliquando loco prandii. *Benedictus deus*, et cetera sicut supra ad cenam.

Gracie dicende sunt ante prandium quod sit aliquando hora cene, dicantur sicut ante prandium prenotata sunt. Post huiusmodi prandium dicitur *Benedictus deus in donis &c.* ut supra ad cenam prenotatum est.

Dictis vero graciis post prandium tantum omni die per annum exceptis festis duplicibus dicitur, *De profundis* sine *Gloria patri* sed cum *Kyrieleyson Christeleyson Kyrieleyson. Pater noster. Et ne nos. Sed libera Requiem eternam. Et lux. A porta inferi. Erue domine. Credo videre. In terra vivencium. Dominus vobiscum. Et cum spiritu. Oremus. Absolve quesumus domine &c. Per christum dominum nostrum. Amen. Requiescant in pace. Amen. Benedicite. Dominus.* Deinde sequatur hoc modo *Det vivis gratiam, defunctis veniam, ecclesie et regno pacem, et nobis vitam eternam. Amen.*

## 70. DE DUPLICI FESTO.

70.1. Hec observentur in omni duplici festo per annum quod chorus regatur a quatuor clericis in capis sericis; et ab eisdem cantetur invitatorium cum psalmo *Venite* ad gradum chori.

Dicitur et responsum ad utrasque vespas a tribus clericis de superiori gradu in capis sericis ad gradum chori.

70.2. Ad matutinas vero omnes antiphone in superiori gradu incipiantur, in primis a dignioribus, et sic descendendo gradatim.

Omnes versiculi ad utrasque vespas et ad matutinas a duobus pueris in superpelliceis ad gradum chori dicuntur.

*Benedicamus* a duobus clericis semper de secunda forma in superpelliceis inter rectores principales et secundarios dicitur nisi ad matutinas in die natalis domini tantum.

Item dicuntur et respondeantur a duobus de superiori gradu, loco et habitu predicto. Secundum vero *Benedicamus*, si habeatur, semper a duobus pueris in superpelliceis post sacerdotem dicitur.

Omnia responsoria a duobus rectoribus incipiantur, et in superpelliceis ad gradum chori: tertium sextum et nonum vero a tribus cantentur, loco et habitu prenotato.

Omnes lectiones in pulpito in superpelliceis legantur. Prima et secunda leccio a clericis de secunda forma legantur. Tercia et sic deinceps a clericis de superiori gradu ascendendo gradatim legantur.

Primum et secundum responsorium a duobus clericis de secunda forma cantentur: tertium a tribus de eadem forma cantetur. Quartum et sic deinceps a clericis de superiori gradu ascendendo gradatim supradicto modo cantentur.

70.3. Ad laudes omnes antiphone in superiori gradu discurrunt et antiphona super *Benedictus* ab excellenciori ex parte chori incipiatur.

70.4. Preterea in omnibus festis de inferioribus duplicibus ut supra notatur, omnia responsoria ad matutinas a duobus cantentur, nisi nonum, quod a tribus; et tunc prima leccio semper legatur a puero secunda et tertia a clericis de secunda forma; quarta et sic deinceps a clericis de superiori gradu ascendendo gradatim in superpelliceis in pulpito legantur.

Primum vero et secundum responsorium a duobus pueris cantentur et tertium responsorium a duobus de secunda forma.

Quartum responsorium et sic deinceps a clericis de superiori gradu ascendendo gradatim supradicto modo cantentur, et tunc omnes antiphone super laudes in secunda forma discurrant.

70.5. In festo autem Omnium Sanctorum lectiones et responsoria in primis a dignioribus personis legantur et cantentur, descendendo gradatim. Ita tamen quod octava leccio a puero legatur et nona ab aliquo sacerdote de superiori gradu.

Ad primam et ad alias horas omnes antiphone in superiori gradu incipiantur: responsoria et versiculi a singulis clericis de secunda forma ex parte principalis rectoris dicuntur, loco nec habitu mutato sed ad altare conversi.

Ad utrasque vespervas antiphone vel antiphona super psalmos in superiori gradu incipiantur. Capitula yma voce a sacerdote dicuntur loco nec habitu mutato sed ad altare converso; quod per totum annum observetur in capitulo dicendo. Antiphona super *Magnificat* ab excellenciori ex parte chori incipiatur.

Ad utrumque completorium antiphona super psalmos in superiori gradu incipiatur. Versus *Custodi nos* semper ab uno solo puero ex parte chori principalis dicitur, loco nec habitu mutato sed ad altare converso. Antiphona super *Nunc dimittis* ab excellenciori ex parte chori incipiatur.

Item ad utrasque Vespervas et ad Matutinas ad *Benedictus* et *Magnificat* thurificetur altare a duobus sacerdotibus in capis sericis.

Similiter fiat ad *Te deum* in festis duplicibus quodocunque dicitur. Chorus vero a duobus pueris thurificetur. Quando enim non dicitur *Te deum* in festis duplicibus ut in adventu et quadragesima, tunc non thurificetur altare nec chorus in repetitione ultimi responsorii.

Preterea in omnibus festis duplicibus paschalis temporis ad matutinas omnes antiphone ante lecciones et super laudes in superiori gradu incipientur, in primis a dignioribus et sic descendendo gradatim, omnes lecciones et omnia responsoria a duobus clericis de superiori gradu dicuntur ascendendo gradatim, ita quod tercium responsum a tribus cantetur: et cetera.

71. HEC SUNT FESTA IN QUIBUS AD SECUNDAS VESPERAS NULLA FIET MEMORIA DE FESTIS TRIUM LECCIONUM IN CRASTINO CONTINGENTIBUS.

Festum purificationis beate marie.

Festum nativitatis beate marie.

Dominica in albis.

Festum sancte trinitatis.

Festum de corpore christi.